COMMENTATIO MACROBIANA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISVALDENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. MENSIS MAII ANNI MDCCCLXXI

H. XII. IN AULA MAIORE

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORGIUS FRID. CAR. SCHOEMANN.

ADVERSARII ERUNT:

IOA. LUCHS, CAND. PHIL.
FRANC. HEYSE, STUD. PHIL.
ED. BECKER, REG. SEM. PHIL. SOD. ORD.

GRYPHISVALDIAE MDCCCLXXI.

IMPRESSUM LIPSIAE TYPIS TEUBNERIANIS.

PHILOLOGO · CELEBERRIMO

GEORGIO · FRIDERICO · SCHOEMANN

AVO · DILECTISSIMO · MAGISTRO

D · D · D

GEORGIUS · SCHOEMANN

Macrobii liber qui est de differentiis et societatibus graeci latinique verbi quanti sit pretii certum iudicium nondum factum est. Ianus enim in proll. p. XIV, quem Teuffelius hist. litt. rom. p. 931. sequitur, excerpta quae ad nos pervenerunt ita comparata esse dicit ut vix libri integri interitum aegre feramus. Bernhardyus hist. litt. rom. ed. 3. p. 768 librum tenuem appellat, item Baehrius hist. litt. rom. ed. 4. vol. III. p. 395 excerpta quidem, quae sola aetatem tulerunt, nullius pretii esse iudicat nisi quod qua auctoritate olim Macrobii liber ipse fuerit demonstrent. Contra G. Uhligius in N. Mus. Rhen. XIX. p. 39 maximam partem ex Apollonii rhematico fluxisse existimat, eique Lentzius ibid. XXIV. p. 545 ita assentitur ut quaedam etiam ex Herodiano admixta esse contendat. Qua de re operae mihi pretium videbatur esse inquirere fontes grammaticos ex quibus Macrobius sua hauserit. attamen priusquam ad hoc opus accedam paucis referendum est quo modo Macrobiani operis memoria servata sit.

Ipse enim Macrobii liber non tulit aetatem, sed tria excerpta nunc nomen scriptoris prae se ferunt, Parisina codicis 7186, Bobiensia cod. Bob. s. Vindob. 16, Par. cod. 7499 (ap. Keil. gramm. lat. V. p. 599—630, p. 631—633, p. 655), quartumque Bob. cod. 17. (Keil. V. p. 634—654) ex Macrobio magnam saltem partem fluxisse et Keilius iure indicavit (gr. lat. V. p. 596) et facile intelleget quicunque hoc excerptum cum Par. cod. 7186 vel obiter tantum comparaverit.

Facta autem sunt haec excerpta a sequioris aevi grammaticis, qui, prout cuiusque consilium ferebat modo latina modo graeca lingua magis respecta Macrobii libellum in brevius contraxerunt omissis pro re nata et additis de suis

quae visum est addere, id quod et excerptor Parisinus in calce operis sui diserte fatetur. (Keil. p. 629.)

Iam vero si quis nomina eorum requirit qui Macrobianum illud opus excerpserint, is sciat nullam nobis ansam relictam esse qua illa recuperatum iri sperare liceat, praeterquam quod uno Parisino cod. 7186 excerpto nomen „Iohannis“ subscriptum est sub quo non improbabili coniectura Pithoeus Ioannem Scotum s. Erigenam latere putavit. non improbabilem[1]) hanc coniecturam dixi quia cum eo quo is homo vixit tempore et graeca studia in Gallia efflorescere coeperint neque omnino eiusmodi opera ab Ioannis Scoti, quantum nos quidem scimus, studiis aliena sit, quod intelligi potest ex eis quae Ioa. Trithemius dicit in libro de scriptoribus ecclesiasticis f. LXV. 2 „Ioannes dictus Erigena monachus in divinis scripturis doctus et in disciplina secularium litterarum eruditissimus. graeco et latino ad plenum instructus eloquio, ingenio subtilis“ etc. vixit autem rege Carolo Calvo cfr. Thomae Galei praef. ad Ioannis Scoti Erigenae de divisione naturae libros p. 3 ap. Henr. Ios. Flossium „Ioannis Scoti opera“ p. 89.

Iam ad instituendam quaestionem de fontibus quibus Macrobius usus sit nullius sunt pretii exc. Par. minora cod. 7499 K. V. p. 655, neque exc. Bob. cod. 16 multum prosunt, quoniam perparvam tantum partem totius operis continent, quamvis non negem ea aliquotiens fortasse ipsa Macrobii verba diligentius premere quam Scotum vel quisquis tandem exc. Par. maiora cod. 7186 scripsit. — Restant igitur haec Par. mai. et Bob. cod. 17 quorum illa sine dubio argumentum et ordinem totius libri accuratius servarunt, ita tamen ut graeci verbi regulas praecipue respicerent, latinum nonnusquam prorsus omitterent, haec contra primum graecis neglectis latina tantum sequerentur, deinde Macrobio solo non contenta etiam alios auctores compilarent. Ceterum cfr. quae Keilius V. p. 595 sqq. de his excerptis et de Macrobio disputavit.

---

1) quamvis eam Ianus proll. XLIX. L. quem etiam Baehrius hist. litt. rom. ed. 4. vol. III. p. 397 adn. 18 secutus est incertissimam esse dicat.

Cap. I.

De eis ex veteribus grammaticis qui graecam et latinam linguam inter se comparaverunt.

Macrobii liber cum de utriusque linguae verbis agat, consequens est ut, si fontes eius explorare velimus primo eos circumspiciamus grammaticos qui et ipsi graecam et latinam linguas coniunctas tractarunt. atque totam illam rationem comparandi graecam et latinam linguam et arta earum cognatio monstravit et iam diu celeberrimi grammatici inierant, veluti Didymus Chalcenterus quem cum scriberet περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας (de Latinitate) utriusque linguae similitudinem demonstrasse non modo per se probabile est sed et diserto Prisciani testimonio comprobatur, qui: „Didymus, inquit, hoc ponit ostendens in omni parte orationis et constructionis analogiam Graecorum secutos esse Romanos“ (de fig. num. §. 9. ed. Hertz II. p. 408, v. 6 sqq. — cfr. etiam §. 17. p. 411).

Primo quidem obtutu veri videri simillimum poterit Macrobium ex Didymi scriptis hausisse cum eum alias summis extollat laudibus, velut Saturn. V, 18, 9. „Didymus grammaticorum facile eruditissimus“ et V, 22, 10. „D. grammaticorum omnium quique sint quique fuerint instructissimus“ — attamen re accuratius considerata aliter iudicabimus.

Priscianus enim, a quo uno frustula illius Didymiani operis servata sunt, unum tantum habet quod huc trahi possit. extat id quidem in instit. gramm. lib. VIII. §. 96. 97. (Hertz. I. p. 445) „Sciendum quod videmur in praeterito perfecto plerumque barytona quoque Graecorum imitari in commutatione consonantium teste Didymo, qui ostendens omnia quae habent in arte Graeci, habere etiam Latinos exemplis hoc approbat. Nam cum primam coniugationem dicunt βαρυτόνων quae tres cognatas habet consonantes id est β π φ . . . et in omnibus huius coniugationis verbis per ψ declinant ἀόριστον, hoc est praeteritum infinitum spatio temporis . . . nos quoque in praeterito perfecto (quod pro παρακειμένου id est paulo ante perfecto et pro ἀορίστου teste Probo habemus) . . . cum in praesenti in bo vel in po de-

sinat verbum plerumque in psi facimus praeteritum perfectum in tertia coniugatione ut scribo scripsi" etc.

Potuit quidem Macrobius hanc similitudinem illarum linguarum tangere, idque statim postquam de plusquamperfecto exposuit, ubi nunc haec leguntur: „post plusquamperfectum consequens erat ut de infinito tempore, id est περὶ ἀορίςτου tractaremus, sed ideo praetermittimus, quia eo Latinitas caret." (K. V. p. 607 v. 20. Ian. c. VII. §. 5.) verba enim illa „sed ideo praetermittimus" etc. sicut in optativo modo (K. p. 621 v. 5. Ian. c. XVIII. §. 7) verba: „aoriston enim praetereo quod Latinitas nescit" ab excerptore, a cuius consilio fortasse aoristi descriptio abhorrebat, profecta esse possunt, quamvis facile crediderim ne Macrobium quidem de aoristo tempore speciatim egisse, sed tantum in transcursu, sicut et nunc in nostro libello legimus, tetigisse, velut in fine eorum quae de imperativo tradit (K. p. 619. v. 8. Ian. c. XVI. §. 14).

Quae cum ita sint, dubium est, utrum ex Didymo Macrobius hauserit an non. hoc autem pro certo affirmare ausim Macrobium, si quid omnino ab illo mutuatus sit, tamen non maiores easque continuas partes ex eo deprompsisse, sed quod maximum est, unam alteramve observationem Didymo debere largimur. hoc ut credam eo moveor quod cum Didymus articulum Graecorum non segregaret a pronominibus, Macrobius statim in initio operis sui Graecum Latinumque sermonem iisdem orationis partibus absque articulo uti dicit, quod facere non potuit nisi si articulum per se unam orationis partem esse voluit.[2])

De reliquis grammaticis qui latinam linguam cum graeca comparaverunt, summatim dicere potero. etenim cum nihil ex eorum scriptis ad nos propagatum sit, ex quo iudicium facere liceat de hac quaestione, nomina tantum eorum hic afferre volo. sunt autem hi:

---

2) Didymi de articulo doctrinam invenimus ap. Priscian. inst. gr. XI, 1, 1 et de XII versib. Aen. VII, 139. — cfr. etiam quae Rud. Schmidt in Stoicorum grammatica p. 39—42 disputavit. Ceterum hunc Prisciani Didymum non eundem esse atque celebrem illum χαλκέντερον Kromeyerus (de grammaticor. Alexandrin. doctrina de pron. natura et divisione Sundiae 1860. p. 60) statuit; qua de re cf. Schoemanni Animadvv. ad veterum grammaticor. doctrin. de articulo. Lipsiae 1864. p. 17 adn. 32.

Tyrannio ὁ νεώτερος Amiseni discipulus, libertus Terentiae uxoris Ciceronis cuius etiam bibliothecam disposuit (Cic. epp. ad Attic. IV, 8a, 2; 4b, 1) praeter alios librum περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου composuit, quo latinae et graecae linguae cognationem evincere studuit (v. Suid. s. v. Τυραννίων ὁ νεώτερος).

Sequitur Philoxenus Alexandrinus de quo vid. quae Maurit. Schmidt in Schneidewini philologi vol. IV. (1849) p. 637, Osannus ad Philemon. p. 314 et H. Kleist (de Philoxeni grammatici Alexandrini studiis etymologicis, Gryph. MDCCCLXV) disputaverunt. hic περὶ τῆς Ῥωμαίων διαλέκτου scripsit (cfr. schol. ad Hom. Od. η' v. 90. tom. I. p. 330 Ddf.).

Denique Apio nominandus est de quo Athenaeus lib. XV. 26. p. 680 d. (Schwgh. tom. V. p. 479) haec: „Ἀπίων, inquit, ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου φησὶ τὸν στέφανον πάλαι χορωνὸν καλούμενον ἀπὸ τοῦ τοὺς χορευτὰς ἐν τοῖς θεάτροις αὐτῷ χρῆσθαι“ κτλ. ex quo cum etiam hoc patefiat Apionem etymologiam quam vocant in illo opere tractasse, dubium videtur num omnino de verborum flexionibus egerit. — Iam

Cap. II.

reliquos grammaticos examinemus.

In paucis quae praefatus est de similitudine et cognatione graecae latinaequae linguae, cum tam universae scientiae essent ut Macrobium ea ab alio mutuari minime opus esset, probabile est eum suis pedibus stare. neque quae cap. I. (K. V. p. 599 v. 11—20) de verborum utriusque linguae differentiis vel societatibus profert unde sumpserit invenire potui. attamen fortasse ab hoc loco non alienum erit disputare de verborum accidentibus.

Habent hic exc. Paris.: „Accidunt verbis utriusque linguae persona numeri figura coniugatio tempus modus, quem Graeci enclisin vocant, Latini cum formis qualitatem posuerunt, genus quod apud Graecos diathesis nuncupatur.“ ubi cum verba „Latini cum formis qualitatem posuerunt“ priores editores Opsopoeum Zeunium valde vexassent, facili negotio ex exc. Bob. (cod. 16) verum restitutum est. scribendum enim est, quod primus Endlicherus vidit „Latini

cum formis in qualitate posuerunt" nempe modum. a Latinis enim grammaticis modos cum formis s. speciebus verborum coniunctos qualitates appellatos fuisse intellegitur ex Donato qui (Keil. gr. lat. IV. p. 381. lib. II. 12) „verbo, inquit, accidunt septem qualitas coniugatio genus numerus figura tempus persona. qualitas verborum in modis est et in formis." (cfr. etiam Spalding. ad Quintil. inst. orat. I. 4, 27). nostro loco cum modi separatim positi sint, Macrobium octo verbi accidentia non septem statuere necesse est, itaque exspectamus etiam formas s. species diserte nominari, qua de re fortasse scribendum est „modus — quem Graeci enclisin vocant, Latini cum formis in qualitate posuerunt — formae s. species, genus, quod apud Graecos diathesis nuncupatur."[3]) nisi quis sufficere putet quod formae iam in enuntiato relativo appellatae sunt.

Iam vero si Latini grammatici septem tantum partes statuunt quae verbo accidant, Macrobius autem octo, in propatulo est eum hac in re graecos auctores sequi. Priscianus enim qui item octo verbis accidere dicit (inst. gr. VIII, 1, 2. Hertz I. p. 369. v. 16) non minus e Graecorum inque primis Apollonii doctrina hausit quam Macrobius. quem autem grammaticum hic exscripserit indicari nequit, quoniam talia apud omnes qui de hisce rebus scripserunt extare debuerunt. iure autem aliquo certe posteaquam alia de quibus dubitari non poterit, auctori suo assignaverimus haec ab eodem sumpta esse statuemus.

Iam ut meam sententiam de Macrobii fontibus statim expromam, Macrobius disputationis summam ex Apollonii rhematico hausit, mutato hoc potissimum, quod in fine operis de verborum generibus agit secundum eam doctrinam suis temporibus magis usitatam qua quattuor genera verborum, activa passiva neutra vel ἀπολελυμένα, μέϲα (communia et deponentia) ponebantur. praeterea autem nonnunquam singularem verborum ϲχηματιϲμὸν tradit quem apud nullum alium antiquitatis grammaticum indagare potui.

---

3) idque etiam sequenti Macrobii disputatione probatur, agit enim cap. I. de personis et numeris. cap. II. de figuris. cap. III. de coniugationibus. cap. IV—XII. de temporibus. cap. XIII—XIX. de modis. interpositis deinde impersonalibus (c. XX.) pergit cap. XXI. de formis vel speciebus et cap. XXII. de generibus verborum.

Atque ex Apollonii rhematico Macrobium permulta hausisse eaque nonnusquam ad verbum transtulisse iam Gustavus Uhlig vir doctissimus verissime censuit et sagacissime demonstravit.[4]) nonnulla tamen quae huc pertinerent aliis indaganda reliquit. ac quo facilius perspiciatur quae quantaque Macrobius ex illo opere transcripserit eaque una simul comprehendantur, necessarium erit repeti etiam quae Uhligius exposuit et appositis Choerobosci et Prisciani locis significavit.

Instituam autem disputationem meam ita ut primo loco ea ponam quae statim Apolloniana se esse quasi clamitant, quibus addam reliqua quae aut probabiliter ei assignari possint, aut e contrario Apollonio procul dubio non debeantur.

Initium indidem faciam unde Uhligius ab optativo quem modum cum nonnulli ex veteribus grammaticis negarent praeteritum tempus iure admittere, hos Apollonius iusto exemplo apposito redarguit. extat autem illa demonstratio etiam in syntaxis lib. III. c. 24. p. 251, 13 sqq. atque rectissime Uhligius addit, etiamsi Macrobii disputatio de hac ipsa re c. XVIII. §. 1—3 magis ad syntaxeos quam ad Choerobosci verba (p. 768, 8 sq. Gaisf.) quadret, tamen illam potius simul atque haec ex rhematico fluxisse quam ex syntaxi, in permultis enim, quae Apollonio debeantur nec tamen ex syntaxi sumpta sint, Choeroboscum et Macrobium conspirare, quae cum manifesto ex rhematico ad illos transierint dubitari non posse quin et illa quae de optativo tradiderunt ad rhematicon referenda sint. quam facile autem Macrobii illa cum syntaxi Apolloniana congruentia, a Choerobosco dissimilitudo oriri potuerit intellegitur si facimus Apollonium quae in rhematico iam disputavit fere ad verbum in syntaxin transcripsisse, itemque Macrobium rhematici verba convertisse, Choeroboscum autem liberiore disputatione usum sententiam tantum Apollonii non ipsa verba reddidisse.

Praeterea optimo iure Uhligius totum cap. XIII. ex Apollonii rhematico haustum esse censet. ibi enim Apollonium uberius exposuisse de modorum ordine et cur indicativum reliquis anteire deceret demonstrasse certissimum

---

4) Emendationum Apollonianarum specimen (diss. inaug. Berol. 1862), sententia 5 et Nov. Mus. Rhen. XIX (1863) p. 39 sqq.

est cum ex eis quae Priscianus l. VIII. XII. §. 63—65 (Hertz. I. p. 421, 20—423, 8) tradit tum ex Choerobosci de hac re disputatione quae extat p. 472, 15—473, 5 tum indicat ipse in libro de synt. III. c. 13. p. 231, 15 ubi dicit se in alio libro (qui nullus nisi rhematicon esse potest) indicativo modorum principatum tribuisse, cum nunc infinitivum primum faciat.

Quod autem Uhligius verba §. 4 „sed imperativus facit ἀορίστου καὶ μέλλοντος ποίησον, coniunctivus ἀορίστου καὶ μέλλοντος ἐὰν ποιήσω“ collatis Choerob. p. 472, 26 et 30. „ἐν δὲ τοῖς προστακτικοῖς καὶ τοῖς ὑποτακτικοῖς πάντες οἱ χρόνοι συνημμένοι εἰσίν . . . καὶ (ὁμοῦ φαμὲν) ἀόριστον καὶ μέλλοντα, οἷον τύψον — ἐὰν τύψω,“ Apollonio vindicavit, primo obtutu mirum videri potest cum illa pugnent cum diserto Apollonii ipsius testimonio qui in synt. l. I. c. 36. p. 70, 13. „πῶς οὖν, inquit, οὐ γελοῖοί εἰσιν οἱ ὑπολαβόντες ῥήματα προστακτικὰ μέλλοντος χρόνου“ κτλ. (cfr. et lib. III. c. 30. p. 274, 1—276, 15 et l. I. c. 36. p. 71, 1—15.) Attamen haec difficultas aliquo saltem modo tolli potest. primum enim cum apud Macrobium et Choeroboscum adeoque etiam sicut suspicamur in rhematico flexiones magis verborum respicerentur, minus interiores rationes secundum quas haec vel illa verbi forma obtinere non deberet inquirerentur, facile fieri potuit ut sicuti praesens et imperfectum, perfectum et plusquamperfectum copulavit, ita etiam analogiae quodam studio ductus futurum et aoriston ita consociaret ut, neglecta ea ratione qua futurum coniunctivo et imperativo carere deceret, tamen communes eos futuro cum aoristo tribueret. deinde Apollonius non quae semel docuit utique retinuit sed meliora didicisse sibi visus in aliis libris priorem sententiam tacite mutavit. idque hic quoque evenire eo magis puto quod rem de qua agitur tam accurate in syntaxi tractat, cum quae iam alias dixerit et quae dicturus sit et breviter tantum tangat paucis verbis additis, qualia legimus p. 333, 26. παρεστήσαμεν καὶ ἀλλαχόθι ὡς . . vel p. 111, 21. καθὼς ἐπεδείξαμεν κἂν τῷ . . et p. 204, 11 περὶ ἧς ἔτι καὶ κατὰ τὸ δέον πάλιν εἰρήσεται, quibus adde p. 25, 17; 67, 18; 204, 9; 319, 5 et 25; 71, 15; 205, 19; 66, 2; 85, 10; 207, 28.

Sequitur §. 5 et 6 indicativum tanquam primam positionem esse ex qua et verba derivativa et nomina verbalia

originem sortiantur, quibuscum cfr. Priscian. I. p. 421, 22—26 et Choerobosc. 472, 33—473, 5. etiam cum nominativo nominum indicativus a Prisciano comparatur (p. 421, 26—422, 23) quamvis non provocetur ad Stoicos ut est apud Macrobium §. 7.

Ad verbum autem paene conspirant Priscianus et Macrobius de praeponendo activo, passivo postponendo.

Prisc. l. VIII. 66. tom. I. p. 423, 17.	Macrob. c. XIII. §. 8.
„activa ideo prima proferuntur quod naturaliter praecedit actus ante passionem.“	„rationabiliter autem declinatio ab activo inchoat quod actus passionem praecedit.“

similiter etiam de personis uterque disputat.

Prisc. l. l. p. 423, 9.	M. ibid. §. 8.
„prima persona praeponitur aliis quod ipsa loquitur et per eam ostenditur et secunda ad quam loquitur et tertia de qua loquitur.“	„bene etiam a prima, non alia persona (declinatio inchoat) quod prima de tertia ad secundam loquitur.“

in quibus statim subnascitur dubitatio, num haec ex Apollonio hausta esse possint, cum Choerobosci planissimis verbis alia personarum definitio Apollonio tribuatur quae sine dubio rhematico vindicanda est. Choerob. p. 477, 32: „πρῶτον μέν ἐστι πρόσωπον ἀφ᾽ οὗ ὁ λόγος καὶ περὶ ἐμοῦ τοῦ προσφωνοῦντος, δεύτερον δέ ἐστι πρόσωπον πρὸς ὅν ὁ λόγος καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ προσφωνουμένου, τρίτον δέ ἐστι πρ. περὶ οὗ ὁ λόγος μήτε προσφωνοῦντος μήτε προσφωνουμένου.“ quibuscum prorsus conspirant quae Apollonius ipse in libro de pron. ed. Bekker in Wolfii et Buttmanni mus. ant. studior. vol. I. p. 282 med. dixit.

Quae §§. 9—13 secuntur Uhligius quamvis apud Priscianum nihil extet quod in eorum comparationem vocari possit, tamen ex Apollonii rhematico sumpta esse autumat, nec falli nos dicit si Macrobiana quaecunque in rhematico scripta fuisse possunt ad rhematicon referamus. attamen vereor ne haec audacius concluserit vir doctissimus, etenim cum postea nonnulla reperturi simus quae certissime Apollonius nunquam docuerit haud admodum audacter videbimur

agere si etiam haec ex alio quopiam ignoto nobis fonte derivata esse conicimus.

Iam transeo ad cap. XIV. „de declinatione indicativi", in quo quae initio docentur sine dubio communi grammaticorum doctrinae tribuenda sunt; nam quod Choeroboscus p. 499, 29 consentit cum nostri

Choer.:	§. 2.
„λέγει ὅτι πᾶν δεύτερον εἰς ϲ̄ λῆγον ἀποβολῇ τοῦ ϲ̄ ποιεῖ τὸ τρίτον πρόϲωπον."	„in omni graeco verbo cuius prima positio in ω̄ desinit, secunda persona amissa cῖγμα tertiam facit."

id me quidem iudice certum quendam auctorem quem uterque compilaverit demonstrare non potest. — atque communem omnium grammaticorum hanc doctrinam fuisse constat ex Choerob. verbis qui p. 559, 11 ad v. τέτυφε haec: „λέγει, inquit, ὅτι δεῖ τῷ κοινῷ λόγῳ τὸ δεύτερον πρόϲωπον κατὰ ἀποβολὴν τοῦ ϲ̄ τὸ τρίτον ποιεῖν," neque ex §. 3 certi quidquam effici poterit quamvis cum Choerob. prorsus congruant ea quae Macrob. tradit; ille enim magis communem quam unius certi grammatici sententiam proferre videtur.

Choer. 496, 15.	Macr. §. 3.
„τὰ εἰϲ ω̄ ἔχουϲιν ἰϲοϲύλλαβον τὸ β′ πρόϲωπον τῷ ἰδίῳ πρώτῳ προϲώπῳ."	„omne verbum in ω̄ desinens cuiuscunque coniugationis et temporis ἰϲοϲυλλαβεῖ in prima secunda et tertia persona."

Facilius fortasse inde coniectura fieri poterit, quod secundum Choeroboscum p. 508, 1 sqq. secunda pluralis ab eiusdem numeri prima persona fit, secundum Macrobium ex tertia singulari nascitur (§. 5) itemque tertia pluralis a prima auctore hoc (§§. 6. 7), auctore illo (p. 509, 24) a participiorum dativis pluralibus. de hac enim re certissimum est Choeroboscum cum Herodiano facere qui in Iliaca prosodia Γ. 152. (L. II. p. 39, 34) τὰ τρίτα πληθυντικὰ ὁριϲτικὰ ἐνεϲτῶτοϲ χρόνου τὴν αὐτὴν φωνὴν καὶ τὸν αὐτὸν τόνον ἀποφέρεται ταῖϲ πληθυντικαῖϲ δοτικαῖϲ μετοχαῖϲ. cogitari igitur potest Macrobium cum ab Herodiani doctrina discedat cumque in allis quae et praecedunt et secuntur nonnunquam Apollonii doctrinam amplectatur, etiam hic Apolloniana tradere, praesertim cum ea quae statim prodit vix dubitatio-

nem relinquant, cui sint adnumeranda. comparatis enim eis quae sunt

ap. Cram. an. Oxon. III. 269, 28 (Lentz. Herod. II. 830, 15) σημείωσαι ὅτι τὸ ἐσσί σχηματίζεται ὁ Τρύφων καὶ ὁ τούτου μαθητὴς Ἀπολλώνιος καὶ ὁ τοῦ Ἀπολλωνίου υἱὸς ὁ Ἡρωδιανὸς ἀπὸ τοῦ ἐσμὶ. et Choer. p. 855, 24. (Lentz. II. 832, 16) ἀπὸ τῆς ἐσμί τροπῇ τοῦ μ̅ εἰς σ̅ ὤφειλε γενέσθαι τὸ τρίτον τῶν ἑνικῶν ἐσσί. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ προελήφθη ἡ φωνὴ ἐπὶ τοῦ ἰδίου δευτέρου προσώπου, καὶ γὰρ τὸ δεύτερον πρόσωπον ἐσσί, τούτου χάριν τροπὴ Δωρικὴ παρεκολούθησε τοῦ σ̅ εἰς τὸ τ̅· καὶ ἐγένετο ἐστί.

Macr. §. 9.

„omnia verba in μ̅ι mutant μ̅ι in σῖγμα et faciunt secundam personam φημὶ φῂς, τίθημι τίθης: sic debuerat ἐσμὶ ἔσς, sed quia nulla syllaba in geminum σῖγμα desinit additum est ἰῶτα, ἐσσὶ. et propter differentiam a secunda singulari tertia quae similiter ἐσσί debuerat fieri assumpsit ταῦ, ἐστί.

Apollonium malim quam Tryphonem atque Herodianum Macrobii auctorem pronuntiare. minime enim mirum est si persaepe eadem docuerunt Apollonius et Herodianus, immo aliter omnino fieri non potuit quam ut hic a patre et magistro quae recte ille tradidisset in suos libros transsumeret: quod etiam in ea cadit quae γραμματικώτατοι illi viri de ν̅ ἐφελκυστικῷ statuerunt. duo enim loci Apollonii, quos Uhligio (l. l. p. 47) debeo, de coniunctionibb. p. 521[5]) et de adverbb. p. 603, 31[6]) demonstrant ν̅ illud ἐφελκυστικόν proprie abesse debere et a verbis et a nominum declinatione, assumi autem propter euphoniam. quod autem Macrobius ad Aeolensium, Doriensium et Ionum testimonia provocat, idem etiam apud eundem Apollonium invenimus atque probabile est eum quae in libro de adverbiis scripsit, ubi in

5) τὸ ν̅ μάλιστα παμπολλόν ἐστιν ἐν τῷ πλεονασμῷ, ἕνεκα εὐφωνίας παραλαμβανόμενον ἐπὶ παντὸς βραχυκαταλήκτου ῥήματος, ἔλεγεν ἔλαβεν, καὶ ἐπὶ δοτικῶν τῶν εἰς ι̅ ληγουσῶν, παισίν χρήμασιν.

6) ἀλλὰ πῶς ποτὲ ἔχει τὸ ν̅ (scil. in ἄνευθεν et similibus); — ᾧ λόγῳ καὶ τὸ ἔλεγεν καὶ τὸ ἔφερεν, οὐ λήγοντα εἰς ν̅ προσλαμβάνοντα δὲ τὸ ν̅ διὰ τὴν τοῦ ε̅ κατάληξιν.

rhematico de eadem re agendum erat, mutatis pro rerum natura mutandis in hoc transcripsisse. quo autem certius cognosci possit Macrobium magis Apollonium quam Herodianum sequi, quamvis et ipse Herodianus patris sui doctrinam propaget, omnium trium verba hic exhibenda esse censeo.

Apollon. de adv. p. 604, 16 sqq.

τὰ cυμφώνῳ παρεδρευόμενα τῶν εἰc θεν ληγόντων ἐπιρρημάτων παρὰ Δωριεῦcι καὶ Αἰολεῦcι ἀμείβει τὸ ε εἰc τὸ α, καὶ κατ' ἐπακολούθηcιν τὸ ν ἀποβάλλει καθάπερ καὶ ἐπ' ἄλλων παθῶν τὸ τοιοῦτον εὑρέcθαι ἔcτι. τὸ ᾔδειν παρ' Ἴωcι λεγόμενον ᾔδεα, ἐπεποιήκειν ἐπεποιήκεα . . . καὶ ἐπὶ cυνδέcμου τοῦ ἕνεκεν ἕνεκα, καὶ ἔτι τοῦ κέν καὶ κά. ὥcπερ πάλιν εἰ τὸ α εἰc τὸ ε μεταπέcοι τὸ τηνικαῦτα πρόcειcι τὸ ν παρ' Αἰολεῦcι τὸ λεγόμεθα λεγόμεθεν κτλ.

Macrob. c. XIV. §. 15.

„ε litera saepe sibi τὸ ν familiariter adhibet. testes huius rei Αἰολεῖc, apud quos λεγόμεθα φερόμεθα et similia finale ἄλφα in ε mutant, et mox ε advocat sibi τὸ ν et fit prima persona λεγόμεθεν φερόμεθεν. contra si quando ε in ἄλφα mutatur, ν inde discedit, sicut Δωριεῖc τὸ πρόcθεν πρόcθα dicunt καὶ τὸ ἔνθεν ἔνθα: sed et Ἴωνεc cum ᾔδειν ᾔδεα faciunt ἑcτήκειν ἑcτήκεα, ν repudiant ne cum ἄλφα iungatur."

Herodian. L. II. p. 192 fgm. 73 et 73[a].

λεγόμεθεν: οἱ Αἰολεῖc τὸ λεγόμεθα καὶ φερόμεθα εἰc ε ποιοῦcι λεγόμεθεν καὶ φερόμεθεν μετὰ τοῦ ν. ἀλλὰ καὶ τὰ εἰc θεν ἐπιρρήματα εἰc α ποιοῦcιν οἷον ὄπιcθεν ὄπιcθα, ἄτερθεν ἄτερθα, χωρὶc τοῦ ν. ὅτε γάρ εἰcιν εἰc ε τὰ ἐπιρρήματα τότε καὶ τὸ ν προcλαμβάνουcιν οἷον ὄπιcθεν. ὅτε δὲ εἰc α, ἀφίcταται τὸ ν ὥcπερ καὶ τὸ λεγόμεθα, εἶτα λεγόμεθεν ἐπλεόναcε τὸ ν.

Ceterum de formanda tertia persona a secunda retrahendo cῖγμα quod Macrob. in hoc (XIV.) capite iterum iterumque affert cfr. §. 2. §. 10. §. 13. §. 16 Apollonii doctrinam non plane alienam fuisse concludi potest ex eo quod Choer. p. 499, 29 sqq. 530, 32 et saepius eadem tanquam communia tradit, alias enim si aut Apollonius aut Herodianus dissensisset, non dubito quin eius rei mentionem additurus fuerit. accedit quod §. 16. Macrobius pronomen tertiae personae ex secundae amisso c natum esse censet. — idem etiam Herodianus sensit. cfr. περὶ παθῶν fgmt. 59[a] (L. II.

p. 189, 11) τὸ ε πρὸ τοῦ θ οὐ δαcύνεται, εἰ μὴ ἀντωνυμικὸν εἴη ἐξ ἀποβολῆc τοῦ c, cέθεν ἕθεν (cfr. Iliac. prosod. I. 540) et Apollonium prorsus idem docuisse patet ex libro de pron. in mus. antiq. studior. vol. I. p. 329 C. 5: ἀποβολῇ γὰρ τοῦ c τὰc κατὰ τὸ τρίτον ἀποτελεῖcθαι coῦ — οὗ, cόc — ὅc cfr. ibid. p. 356. C. 7. 358. C. 3.

De tertia plurali quae §. 18 extant congruunt cum Herodiano qua de re Lentzius ipsa illa ab Herodiano petita esse contendit.

Herod. cathol. prosod. (L. I. p. 6, 13).	Macrob. §. 18.
„παρὰ Δωριεῦcι τὸ, ἔλεγον ἐκεῖνοί παροξύνεται“ cfr. ibid. p. 460, 10 sqq. „πᾶν πρόcωπον ὁριcτικὸν εἰc ον εἴτε ἑνικὸν εἴτε πληθυντικὸν ἁπλοῦν ὑπὲρ δύο cυλλαβὰc προπαροξύνεται ἔγραφον ἐγὼ καὶ ἔγραφον ἐκεῖνοι . . . ὑπεcταλμένηc τῆc Δωρίδοc διαλέκτου, οἱ γὰρ Δωριεῖc τὸ ἐλέγον ἐκεῖνοι παροξύνουcι.“	„tertia pluralis in hoc tempore semper eadem est primae singulari. unde Δωριεῖc in illis verbis quae in ον mittunt paratatieon et propter βραχυκαταληξίαν tertia a fine patiuntur accentum tertiam numeri pluralis discretionis gratia βαρυτονοῦcιν (l. παροξυτονοῦcιν)· ἔτρεχον ἐγὼ προπαροξυτόνωc, ἐτρέχον ἐκεῖνοι βαρυτόνωc (l. παροξυτόνωc).

At etiam Apollonium hanc sententiam de accentu dorico habuisse testimonio probatur. ipse enim in l. de synt. III. c. 7. p. 213, 6 de coincidentia (cυνεμπτώcει) primae personae singularis imperfecti et tertiae pluralis agens, excipit Doricam dialectum v. 15 ὑπεξῃρήcθω, inquit, τὰ Δωρικά· ἡ γὰρ παρ᾿ αὐτοῖc καταβιβαζομένη ὀξεῖα ἐπὶ πληθυντικῶν ἀφίcτηcι τὴν πρὸc τὸ ἑνικὸν cυνέμπτωcιν.

Attamen etiamsi exemplo probari non posset Apollonio hoc animadversum fuisse, probabile tamen est eum talia in scriptis suis tetigisse, cum satis certo constet eum de Dorica dialecto singulari libro egisse atque quae ibi adnotavit cur non eadem ubi visum est in rhematico repetiverit; sicut etiam quae de plusquamperfecti forma ionica correpta ἐπεποιήκεcαν et ἐτετύφεcαν Choerob. p. 606, 14 (conspirantia ea cum Macr. §. 20) non minore iure Apollonio vindicari puto quam quo Lentzius Herodiano tribuit. (v. Herod. path. fgm. 332, II. p. 279, 9.)

In toto cap. XV. nihil est quod quo referam dicere

atque exemplis confirmare possim, quare ne temere iudicare videar missum faciam hoc caput.

„Cap. XVI de imperativo modo“ in quo postquam initio indicativi praesentis secundam personam pluralis praesentis eandem esse atque imperativi, [quam cυνέμπτωcιν etiam Apollonius observat (Synt. III. 27. p. 260, 21) τὸ πλέον cυνεμπίπτουcι (scil. τοῖc προcτακτικαῖc φωναῖc) τῆc ὁριcτικῆc ἐγκλίcεωc αἱ φωναί, ὡc τὸ λέγετε καὶ λέγεcθε κτλ. coll. p. 255, 12 et p. 263, 3 sqq.] et omne verbum quod in μεν desinat qualem paenultimam in prima persona plurativa habeat talem etiam in secunda servare dixit: iure colligit formam qualis sit φεύγωμεν non esse imperativi primam personam, eique exhortativum sensum vindicat. prorsus eandem sententiam Apollonius relatis ut solet aliorum discrepantibus iudiciis suam profitetur. nonnulli, inquit de synt. lib. III. c. 25 et 26. p. 253, 27 sqq. (de quibus locis cum totos exscribere longum sit nunc breviter referam) secernendum esse dicunt eum qui imperet ab eo cui imperet, id quod fieri non possit in prima persona quae de se ipsa aliquid eloquitur, deinde cum vocativi in duarum tantum personarum, secundae et tertiae, pronominibus personalibus reperiantur, imperativus autem vocativos requirat: iam consequi primae personae imperativum extare non posse. — alii qui non sublatis illorum argumentis tamen primam imperativi personam accipiunt, exempla proferunt quae sunt

Hom. Il. II. 140. φεύγωμεν cὺν νηυcὶ φίλην ἐc πατρίδα γαῖαν.

Hom. Il. V. 249. ἀλλ᾽ ἄγε δὴ χαζώμεθ᾽ ἐφ᾽ ἵππων,

similia, atque ex his plurativis formis abiecta μεν syllaba etiam singulares formare conantur φέρω ἀριθμήcω, neque impedimento esse dicunt similitudinem cum indicativis formis, quoniam eadem etiam in secundis personis occurrat, ab indicativis facili negotio hosce imperativos discerni adiectis ἄγε vel φέρε particulis.

Apollonio ipsi videntur duo modi confusi esse, quam sententiam sic confirmat. concesso nos non affari nosmet ipsos neque nobis imperamus ipsis, verumenimvero hortamur nos, velut et Iuppiter postquam ex multis quae animo agitavit unum optimum invenit,

πέμψω, inquit, ἐπ᾽ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι οὖλον ὄνειρον.

ita enim mutandum est quod oratione obliqua expressum ap. Hom. Il. II. 6 πέμψαι ἐπ' Ἀτρ . . . est. ab hac singulari tum pluralem primam personam fieri dicit eamque amplecti etiam secundam et tertiam cum potior sit prima quam altera utra reliquarum, perque hanc etiam imperare loquentem aliis, sed ita ut, cum se ipsum una complectatur imperium quodammodo restrictum in adhortationis speciem abeat. ita videri posse primam personam hypothetici modi quasi imperativi primae deficientis vices suscipere, et sic alterum modum alterum complere.

Breviter eandem sententiam expressam videmus a Macrobio qui omissis scilicet rationibus negato imperativi primam personam omnino extare, „cum autem“ inquit, „dicimus: fugiamus discamus nutriamus aremus doceamus et similia ad exhortativum sensum non ad imperativum modum pertinere dicenda sunt.“ quae §. 6 extant Apolloniana non esse apparet ex Choer. 746, 4—16. Disputat M. §. 10 de imperativis praeteritorum temporum, quos Latini omnino non acceperunt cum quae iam perfecta sint imperari nequeant, Graeci contra iure melius „introspecta iubendi natura adverterunt posse comprehendi praecepto tempus elapsum“ et interesse aliquid utrum dicam ἡ θύρα κεκλείσθω an ἡ θύρα κλειέσθω (sic, non κλείσθω, scribendum est). pertinent quidem illi imperativi ad futuri temporis sensum, sed ita ut videamur imperare ut hoc vel illud in futuro tempore iam sit praeteritum vel ut Apollonius de synt. p. 253, 1 dicit: ἡ μὲν κατὰ τὸν ἐνεστῶτα ἐκφορὰ ὑπαγορεύει τὴν ὑπόγυιον πρόσταξιν τό γε μὴν κεκλείσθω τὴν ἔκπαλαι ὀφείλουσαν διάθεσιν γενέσθαι. Idem invenitur apud Priscianum l. VIII. c. VIII. §. 41 (II. I. p. 406, 20 sq.), praeterquam quod ille alia adhibuit exempla ἠνεῴχθω ἡ πύλη . . . . . πεφιλήσθω . . . . . δεδιδάχθω . . . . denique etiam κεκλείσθω. atque si quid hinc conicere licet, hoc coniciam Prisciani disputationem, cum alias plurimum Apollonium sequatur, etiam hic ex eo fluxisse atque cum libros de syntaxi adhuc habeamus nec cum illis haec congruant ex Apollonii libro de verbo, siquidem omnino illa opinio admittenda est, eam fluxisse necesse est. atque Macrobius tum aut ex syntaxi aut ex rhematico hausit; ad Apollonium enim omnino haec referenda esse mihi persuasum est, cum apud nullum alium veterum grammati-

corum haec disputatio de imperativo praeteritorum temporum iterum reperiatur. atqui si quae apud Macrobium statim secuntur „Ponamus senatum pugnatum consuli vel militibus imperare conficiendi belli celeritatem: πρὸ ὥρας ἕκτης ἡ συμβολὴ πεπληρώσθω κτλ.“ ex eodem continuo fonte derivata sunt, consequitur rhematicon non libros de syntaxi verum huius partis fontem esse. Neque quae iam secuntur [quamvis futurum atque aoristum imperativi coniungant] prorsus ab Apollonio abiudicaverim; licet enim pugnent cum eis quae ille in synt. l. I. c. 35 disputat futura imperativum non admittere, cum imperativis insit significatio quaedam futuri temporis vel ut Priscianus dicit futuri sensus (Apollon. de synt. p. 70, 5: „δείκνυται, inquit, ὡς ἅπαντα τὰ προστακτικὰ ἐγκειμένην ἔχει τὴν τοῦ μέλλοντος διάθεσιν προστασσόμενα ἢ εἰς παρατατικὴν διάθεσιν ἢ εἰς ὑπερσυντελικὴν“) tamen facile fieri potuit, ut cum rhematicon componeret aut eius rei omnino non meminisset aut aliter de ea re iudicaret. Si enim revera talia ibi tradidisset, qualia etiam in syntaxi docuit, Choeroboscus ea non omisisset cum dubitari nequeat quin in conscribendo suo libro Apollonii rhematico usus sit. ceterum cfr. quae p. 7 disputavimus.

Praeterea si de fontibus quaerimus, hoc notatu dignum videtur quod habemus apud Choerobosc. p. 746, 4 Apollonii doctrinam de imperativis perfecti et plusquamperfecti, abhorrentem eam ab Herodiano. Apollonium enim docere ait „ὅτι εἰς $\bar{\epsilon}$ λήγει τὸ προστακτικὸν τοῦ παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ ὁμοφώνως τῷ τρίτῳ προσώπῳ τῶν ἑνικῶν τοῦ ὁριστικοῦ παρακειμένου [καὶ ὑπερσυντελικοῦ] οἷον τέτυφε ἐκεῖνος τέτυφε σύ (ubi verba a me uncis inclusa delenda esse sententia flagitat). Herodianus contra huius imperativi terminationem $\overline{\theta\iota}$ solum comprobavit, imperativum vero in $\bar{\epsilon}$ perfecto prorsus abrogavit. v. ibid. v. 21 λέγει ὁ Ἡρωδιανὸς ὅτι ταῦτα τὰ εἰς $\bar{\epsilon}$ προστακτικὰ οὐκ εἰσὶ παρακειμένου ἀλλ᾽ ἐνεστῶτος εἰσὶ καὶ παρατατικοῦ, τοῦ παρακειμένου εἰς ἐνεστῶτα μετενεχθέντος.

Iam vero cum Macrobius §. 11 παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ νενίκηκε νενικηκέτω afferat, consequitur eum Herodiani auctoritatem hic aspernari, utrum vero Apollonium an communem quandam doctrinam sequatur propter testimoniorum penuriam in medio relinquendum est.

In capite XVII. priora non praebent ansam qua fontem Macrobii recuperare possimus, at §. 5 manifesto Apollonium prodere iam Im. Bekker ad Ap. synt. p. 257, 26 et post eum G. Uhligius l. l. p. 46 animadverterunt. Nam quod Ianus verba „ἐὰν πεποιήκω ἐὰν πεποιήκωμαι“ uncinis inclusit adsentiente Keilio (V. p. 620, 2. 3) id prorsus reprehendendum est; quod enim ad caput XV. §. 12 provocat, ubi vera perfecti passivi forma legatur, nunc quidem non est quod curemus; agitur enim ibi de indicativo modo dicitque Macrobius secundam personam pluralis activam mutata τ littera in cθ passivam fieri praeter perfecta quibus obstet regula secundum quam omnia verba quorum prima in θα exeat secundam syllaba minorem proferunt. iam si prima persona pluralis indicativi perfecti passivi πεποιήμεθα audit, necessario secunda non potest esse πεποιήκαcθε. aliter autem res se habet de coniunctivo perfecti passivo, eum enim non ab indicativo perfecti passivo sed a coniunctivo perfecti activo formari dicit προcθέcει τῆc μαι cυλλαβῆc. quod quo iure docuerit, quaerere impraesentiarum nostrum non est, Macrobium sic sensisse certissimum est. atque eo minus verba illa delenda sunt, quo facilius ex eis Macrobii antesignanus cognoscitur, qui nemo est alius quam Apollonius. statim enim quid ille docuerit planum erit ubi quae Choerobosc. p. 900, 26 tradit legerimus: „ἰcτέον ὅτι ἀπὸ τοῦ τέθειμαι παθητικοῦ παρακειμένου γίνεται τὸ ὑποτακτικὸν τροπῇ τῆc παραληγούcηc εἰc ω, ἐὰν τεθῶμαι· ὁ μέντοι Ἀπολλώνιοc οὐχ οὕτωc κανονίζει ἀλλὰ φηcὶν ἀπὸ τοῦ ἐνεργητικοῦ ὑποτακτικοῦ γίνεcθαι προcθέcει τῆc μαι, οἷον ἀπὸ τοῦ ἐὰν τεθείκω ἐὰν τεθείκωμαι καὶ ἀπὸ τοῦ ἐὰν δεδώκω ἐὰν δεδώκωμαι. iam in eis quae statim secuntur refellitur haec sententia ab Herodiano, qui „οὐδὲ γὰρ, φηcὶν, εὕρηται παντελῶc ἐν χρήcει τὸ ἐὰν τεθείκωμαι καὶ ἐὰν δεδώκωμαι, ἀλλ᾽ ἐὰν τεθῶμαι καὶ ἐὰν δεδῶμαι· ἄλλωc τε εἰ ὑπῆρχεν ἀληθὴc ὁ λόγοc τοῦ Ἀπολλωνίου καὶ ἀπὸ τῶν ὑποτακτικῶν ἐνεργητικῶν τοῦ παρακειμένου καὶ ὑπερcυντελικοῦ ἐγένετο τὸ ὑποτακτικὸν παθητικὸν προcθέcει τῆc μαι ὤφειλεν ἐὰν τετύφωμαι εἶναι καὶ μὴ ἀναπληροῦcθαι διὰ μετοχῆc διὰ τὸ τὸν τέτυμμαι παθητικὸν παρακείμενον ἔχειν πρὸ τοῦ μ cύμφωνον· καὶ πάλιν ἐὰν μεμνήκωμαι ὤφειλεν εἶναι καὶ οὐχὶ ἐὰν μέμνωμαι ἀπὸ τοῦ μέμνημαι.“ ex his, opinor, luce clarius fit Macrobium hausisse ex Apollonio atque ex rhematico qui-

dem, cum in syntaxi nulla forma illis τεθείκωμαι δεδώκωμαι similis inveniatur praeter unam πεποιηκώμεθα (p. 257, 26).

Ad capitis XVIII. §. 7 haec prioribus observationibus (cfr. pag. 7) adicienda sunt. quod Macrobius ἀπὸ τοῦ ἡβῶ fieri dicit ἡβῷμι, καὶ ἀπὸ τοῦ ἡβώω fieri ἡβώοιμι: sine dubio pertinet ad Homeri Iliad. VII. vv. 133 et 157, quorum priore loco illud, posteriore hoc ἡβώοιμι extat, et ad hunc posteriorem versum 157 Eustathius „γίνεται inquit τὸ μὲν ἡβῷμι ἐκ τοῦ ἡβῶ διcυλλάβου ῥήματοc· τὸ δὲ ἡβώοιμι ἐκ τοῦ ἡβώω τριcυλλάβου (cfr. etiam schol. ad h. l.) — atque haec et Macrobiana eundem fontem primarium redolere mihi videntur, quis autem is sit dicere nequeo.

Venio nunc ad cap. XIX. „de infinitivo modo", in quo Macrobium non suis pedibus stare manifestum est, quemque exscripserit ilico apparebit collatis inter se Macrobio et Apollonio,

Apollon. synt. III., 12. 13, p. 226, 20 sqq.	Macrob. §. 1 et 2.
„ἡ ἀπαρέμφατος ἔγκλιcιc διcτάζεται πρόc τινων εἰ ἔγκλιcιc καὶ εἰ ὅλωc ῥήματα τὰ ἀπαρέμφατα· τί γὰρ μὴ μᾶλλον ἐπιρρήματα ἐκ ῥημάτων γενόμενα (vid. §. 3 Macr.); καὶ εἴη ἂν cυνηγοροῦντα τῷ λόγῳ τοιαῦτα (iam sequitur affectum animi [τὴν ψυχικὴν διάθεcιν] praecipue verbis adhaerere, abesse tamen ab infinitis qui non flectantur per personas et numeros — ergo quo iure participia negentur verba esse, eodem et infinitivos negari oportere) . . πόθεν δὲ ὅτι ἐπιρρήματα; — καθότι ἔγκλιcιc μὲν διάφοροc κατὰ cύνταξιν τοῦ αὐτοῦ προcώπου οὐ παραλαμβάνεται· οὐ γάρ φαμεν γράφειc λέξαιc ἤ τι τῶν τοιούτων τῶν μὴ δυναμένων παραλαμβάνεcθαι φαμὲν δὲ θέλειc γράφειν, ἀναγινώcκειν βούλει — (ad §. 2) ἴδιον δὲ	„Infinitum modum, quem ἀπαρέμφατον dicunt, quidam Graecorum inter verba numerare noluerunt, quia nullius ἐγκλίcεωc verbum verbo alterius iunctum efficit sensum (quis enim dicat: βουλοίμην λέγω, λέγοιμι βούλομαι, γράφοιμι τρέχω?) aparemphatum vero cum quolibet modo iunctum facit sensum: θέλω γράφειν, θέλε γράφειν, εἰ θέλοιμι γράφειν . . . (2) dicuntque adverbium esse magis quia infinitum sicut adverbium praeponitur et postponitur verbo ut γράφω καλῶc, καλῶc γράφω . . . ἑλληνιcτὶ διαλέγομαι, διαλέγομαι ἑλληνιcτὶ . . ita et hoc θέλω γράφειν, γράφειν θέλω . . ἐπίcταμαι τρέχειν, τρέχειν ἐπίcταμαι.

ἣν ἐπιρρημάτων τὸ σὺν ῥήμασι παραλαμβάνεσθαι προτακτικῶς ἢ ὑποτακτικῶς, ὅπερ παρείπετο τῷ γράφειν θέλω, θέλω γράφειν, ὡς εἰ καὶ ἑλληνιστὶ λέγω, λέγω ἑλληνιστὶ. καὶ ὡς τὸ ἑλληνιστὶ προσλαβὸν τὸ λέγω ἀπαρτίζει τὸν λόγον οὕτω τὸ γράφειν προσλαβὸν τὸ θέλω κτλ.

καὶ εἰ ἀπὸ τῶν ῥημάτων ἔσθ' ὅτε τὰ ἐπιρρήματα παράγεται, ὡς αὐτὸ τὸ ἑλληνιστὶ τῷ ἑλληνίζω παράκειται, οὐ κωλύει καὶ τῷ γράφω παρακεῖσθαι τὸ γράφειν. οὐ μαχομένου τοῦ διαφόρου χρόνου. δύναται γὰρ κατὰ χρόνον τὸ ἐπίρρημα ἀποτελεῖσθαι, καθὸ ἔστιν ἐπινοῆσαι κἀπὶ τῶν μετοχῶν, εἴ γε τῷ μὲν γράφω ἡ γράφων παράκειται, τῷ δ' ἔγραψα ἡ γράψας. τῷ γὰρ αὐτῷ λόγῳ καὶ τῷ γράφω τὸ γράφειν παρακείσεται, τῷ τε ἔγραψα τὸ γράψαι.

(§. 3) nec mirum aiunt, cum multa adverbia nascantur a verbis, hoc quoque ex verbo esse profectum. si enim ἑλληνίζω ἑλληνιστί facit, et κάμνω ἀκμητί, cur non et ἀπὸ τοῦ γράφω nascatur adverbium γράφειν?

Iam hinc persuasum erit legentibus Macrobium ea, quae primis tribus paragraphis de adversariorum sententiis exposuit, ab Apollonio mutuatum esse. sequitur §. 4 sententia eorum qui, provocantes ad participiorum similitudinem quae et ipsa amissa personae et numeri significatione temporum quidem adsignificationem habeant nec tamen in verbis numerentur, infinitivum nomen esse putant. quae sententia cum in Apollonii syntaxi frustra quaeratur, cumque item illa quam modo litteris distractis exhibui in Macrobii disputatione desideretur, temporum nempe adsignificationem non obstare quominus infinitivi pro adverbiis habeantur: consequitur Macrobium sua non hausisse ex syntaxi, sed alium librum circumspiciendum esse, ad quem illa referantur, quem nullum nisi rhematicon esse posse quilibet facile intelleget. —

Iam videndum est, quibus argumentis Macrobius adversariorum illa infirmare studeat. primum §. 5 hoc affert: „qui talia de infinito putant, hac maxime ratione vincuntur, quod in adverbio temporum significationes non de eiusdem soni inflexione nascuntur, sed ut tempora, mutantur et voces νῦν πάλαι ὕστερον nunc antea postea: in infinito autem vox eadem paululum flexa tempus immutat γράφειν γεγραφέναι γράψειν, scribere scripsisse scriptum ire" vocat igitur Macrobius adverbia temporalia in auxilium — attamen in prioribus nunquam horum mentio facta est sed tantum de adverbiis agebatur, quae a verbis nascentia adsignificationem quandam temporis haberent, non ipsum tempus significarent. quae cum ita sint, facile a nobis impetrabimus, ut in prioribus aut excidisse aut a Macrobio, sive mavis ab eius excerptore, neglegenter omissa esse nonnulla putemus, aut denique ea ipsa quae §. 5 extant a Macrobio non satis caute interposita esse, nisi quis forte hoc librario tribuere malit. — attamen necessario hoc accipiendum esse vix concedemus, cum comparata Choerobosci disputatione quae est p. 715, 15 sqq.[7]) haec veri videantur esse simillima, utrumque et Macrobium et Choeroboscum eodem duce usum esse, quem neque ipsum tam accurate adversariorum suorum sententias et argumenta rettulisse censeo ut hanc temporalium adverbiorum commemorationem praemitteret.

In sequentibus iterum Apolloniana doctrina cognoscitur.

Ap. synt. p. 228, 8 sqq.	Macr. §. 6—8.
„ἔστι γε πρὸς ταῦτα φάναι· καὶ πρὸς μὲν τὴν σύνταξιν τοῦ θέλω γράφειν καὶ τῶν τοιούτων, ὡς οὐκ ἐν τῷ καθόλου δίδοται τὸ κατὰ τοῦ αὐτοῦ προσώπου διαφόρους ἐγκλίσεις μὴ παραλαμβάνεσθαι.†) φαμὲν γὰρ προ-	„Nec omne ἀπαρέμφατον cuicunque verbo iunctum sensum exprimit, sed illis tantum quae nullam rem per se dicta significant quae ab illis προαιρετικὰ ab his arbitraria (a Prisciano lib. XVIII. IV. 40. Hertz. II.

7) πρὸς δὲ τὸ τρίτον ἐπιχείρημα τὸ λέγον ὅτι ἐπιρρήματά εἰσι τὰ ἀπαρέμφατα, διότι ὥσπερ τὰ ἐπιρρήματα καὶ προτάσσονται καὶ ὑποτάσσονται τῶν ῥημάτων οὕτω καὶ ἡ ἀπαρέμφατος ἔγκλισις, ἔστιν εἰπεῖν ὅτι τὰ ἐπιρρήματα οὐ δηλοῦσι διαφόρους χρόνους ἐν ἰδίοις μετασχηματισμοῖς τὸ γὰρ χθὲς καὶ σήμερον κτλ.

†) Inter παραλαμβάνεσθαι verbum et φαμὲν γὰρ, haec vulgo leguntur: „φαμὲν γὰρ ἐὰν ἀναγινώσκῃς πρόσεχε, ἐὰν διαλέγῃ ἐπίστρεφε σεαυ-

αιροῦμαι ἀναγινώςκειν καὶ φιλῶ γράφειν, οὐ μὴν γελῶ γράφειν οὐδὲ cκάλλω λέγειν, ὅπερ εἰ κατὰ τὸν λόγον ἦν τῶν ἐπιρρημάτων, ἐπὶ ῥήματα φέρεcθαι ἤμελλεν. ἔcτιν οὖν τῆc cυντάξεωc ἡ αἰτία ἥδε. τῶν ῥημάτων ἃ μέν ἐcτιν ἐμπεριεκτικὰ πραγμάτων, ἐφ᾽ ἃ καὶ ἡ ὁριcτικὴ ἔγκλιcιc ἀπερείδεται καὶ αἱ ὑπόλοιποι ὡc τὸ γράφω ἐρέccω, τύπτω. ἃ δὲ αὐτὸ μόνον προαίρεcιν ψυχῆc ὁρίζεται, ἐλλείποντα τῷ πράγματι, ὡc τὸ θέλω βούλομαι προθυμοῦμαι ἃ δὴ ὡcπερεὶ κενὰ ὄντα ἀναπληροῦται τῇ τοῦ πράγματοc παραθέcει ὅπερ οὐκ ἄλλο τί ἐcτιν ἢ τὸ προκείμενον ἀπαρέμφατον, γενικώτατον καθεcτὸc τῶν ἄλλων ῥημάτων, ὡc ἐν τοῖc ἑξῆc δεδείξεται, θέλω περιπατεῖν, βούλομαι γράφειν.“

p. 224, 25: voluntativa vocantur) non absurde vocari possunt, quia per ipsa significatur dispositionem seu amorem vel arbitrium subesse nobis rei adhuc incertae sed per adiunctionem verbi alterius exprimendae. nam ἐcθίω μετὰ τοῦ τύπτειν aut περιπατῶ μετὰ τοῦ πλουτεῖν iungi non possunt. item lego cum sedere iunctum aut scribo cum caedere nullam efficit sensus perfectionem, quia et lego rem significat et sedere et scribo similiter et caedere. — si vero dixero volo aut opto aut soleo aut incipio et similia, nullam rem ex huiusmodi verbi pronuntiatione significo. et haec sunt vel talia quae bene aparemphatis implicantur, ut ex uno arbitrium ex altero res notetur: volo currere, opto invenire, dispono proficisci, soleo scribere.“

Ceterum hic in excerptis Paris. omissa sunt ea quibus Macrobius infringit quae §. 4 dixit. egit enim ibi de participiis quae in distinctionem personarum additamento pronominis indigerent ut ἐμὲ φιλῶν, cὲ φιλῶν, ἐκεῖνον φιλῶν: ita enim et infinitivos cum amisissent personae significationem distingui ἐμὲ φιλεῖν, cὲ φιλεῖν, ἐκεῖνον φιλεῖν. — itaque ea ex exc. Bob. cod. 17. Keil. V. p. 644, 25—37, Ian. de verbo c. VI. §. 2 huc transcribam. „infinitum modum non

---

τὸν, πρὸc τῷ μηδὲ ἐν τῷ καθόλου τὴν τοιαύτην cύνταξιν διήκειν.“ quae cum in hoc quidem sententiarum nexu sano sensu careant turbentque prorsus orationis progressum, abiudicanda censeo ab hoc loco; neque omnino Apollonium tale quid dixisse puto, quo ipse demonstraret se non posse discernere inter duo enuntiata per ἐάν coniunctionem copulata et unum atque in se absolutum. qua de re illa verba pro vili inscii librarii vel explanatoris additamento habuerim, atque confirmatur mea sententia eo quod ab uno saltem codice D revera absunt.

quidem exprimere (dicunt) numerum vel personam, omnes tamen recipere personas et utrumque numerum admittere; nam ipsum scribere cum a me agitur fit scribo, cum a te fit scribis" etc. — horum extrema non absone, opinor, conferas cum Apollon. synt. p. 229, 15. „αὐτὸ γὰρ τὸ πρᾶγμα ἕν ἐστι τὸ γράφειν τὸ περιπατεῖν· ὅπερ ἐγγινόμενον ἐν προσώποις ποιεῖ τὸ περιπατῶ τὸ περιπατεῖτον τὸ περιπατοῦσιν.

§. 9. Macrob. ex eiusmodi enuntiato quale est „volo currere" intellegi dicit „maximam vim verbi in infinito esse modo, siquidem verba rerum nomina sint."

in his ipsis verbis ego Apollonii ὄνομα πράγματος deprehendere mihi videor. Apollonius enim postquam in libro de adverbiis (Bekk. An. II. p. 538, 13 sqq.) de χρὴ et δεῖ exposuit, quippe quae videri possint adverbia esse cum coniungantur cum infinitis verbis, atque ex syntaxi eorum cum infinitivis consequi dixit esse ea aut revera adverbia aut verba προαιρετικά: sic pergit (539, 21): ὅτι δὲ ῥήματά ἐστι τὰ προκείμενα μόρια σαφὲς ἐντεῦθεν· πᾶν ἀπαρέμφατον ὄνομά ἐστι πράγματος ideoque etiam articulum adsumere potest cum eodem loco ponatur cum nominali actionis categoria[8]). iam vero cum verba cum πτωτικοῖς ἢ ὡς πτωτικοῖς i. e. cum nominibus vel cum eis quae nominum vicibus funguntur construantur, infinitivus autem in enuntiato δεῖ περιπατεῖν nominis loco sit (nihil enim δεῖ περιπατεῖν aliud est quam λείπει ὁ περίπατος): — consequitur δεῖ non esse adverbium sed verbum. — videmus igitur Apollonium in simili quaestione atque nunc apud Macrobium tetigimus advocare infinitivi naturam qua nomen actionis vel ut ait Macrob. rei nomen est.

Iam omnibus perpensis non nimis audacter concludemus Apollonium in libro de verbo similiter disputasse atque nunc Macrobium. eis enim quibus tota Macrobii disputatio a syntaxi distat quibusque conspirat cum Choerobosco, vetamur de syntaxi eius fonte cogitare.

---

8) Si enim dicimus „τεθνάναι βέλτιον ἢ βίοτος," infinitivus τεθνάναι idem valet ac si scriptum esset θάνατος, fungitur igitur nominis vice hic infinitivus et cum βίοτος nomine iuxta aestimandus est in enuntiato. cfr. etiam Priscian. l. VIII. 43. (Hertz. I. p. 408, 26): „vim nominis rei ipsius habet verbum infinitum. unde quidam nomen verbi hoc esse dicebant; dico enim bonum est legere ut si dicam bona est lectio."

Si interdum ubi, unde aliquid fluxerit indicari non potest, operae tamen pretium est indicare unde fluere non potuerit ne qui postea in eadem quaestione periclitaturi sint, operam simul et oleum perdant — non quod inutile esse iudicetur facere nobis videmur si §um 13. Herodiano niti negamus. etenim ibi „omne ἀπαρέμφατον aut in ν̄ desinere traditur aut in αι̅ diphthongum: sed et cum in ν̄ desinit diphthongus praecedat necesse est, ut ποιεῖν χρυσοῦν: ideo τῷ ΒΟΑΙΝ ἰῶτα ascribitur, ne sit ἀπαρέμφατον sine diphthongo.“

Herodianus autem (de orthogr. ap. Lentz. II. p. 517, 28) prorsus e contrario docuit „τὰ εἰς ν̄ λήγοντα ῥήματα οὐ θέλει ἔχειν πρὸ τοῦ ν τί ποτε ἀνεκφώνητον οἷον βοᾶν γελᾶν περᾶν.“ item Macrob. differt a Choerobosco qui p. 721, 23 „ἐπὶ τῶν περισπωμένων, inquit, τὰ ἀπαρέμφατα ἀπὸ τοῦ παρατατικοῦ γίνονται καὶ οὐκ ἀπὸ τοῦ ἐνεστῶτος ὅτι βοᾶν καὶ γελᾶν λέγομεν χωρὶς τοῦ ι̅· εἰ δὲ ἐκανονίζοντο ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος βοᾷν καὶ γελᾷν εἶχεν εἶναι σὺν τῷ ι̅·“ quae Herodianea et ipsa esse eo evincuntur quod statim additur: „εἰ δέ τις εἴποι διὰ τί γὰρ τὸ βοᾶν καὶ γελᾶν οὐκ ἔχουσι τὸ ι̅ προσγεγραμμένον, λέγομεν ὅτι τὰ εἰς ν̄ λήγοντα ῥήματα οὐδέποτε ἔχουσι πρὸ τοῦ ν̄ τί ποτε ἀνεκφώνητον.“[9])

iam vero cum Choeroboscus alteram illam sententiam secundum quam ι̅ adsumitur dignam habeat quam sequentibus refellat, concludi potest eam fulciri auctoritate non spernenda, quam ego non minorem quam Apollonii ideo puto esse, quod, cum reliqua quae hucusque in hoc XIX. capite a Macrobio tradita sunt Apollonii doctrinae esse non modo probabile sed certum sit, vix dubitari potest quin et haec eodem referenda sint.

Iam statim transeundum est ad §. 25 in qua Macrob. „ἀπαρέμφατον, inquit, quod in θαι̅ exit, si habeat in paenultima υ̅, modo praesentis temporis est modo praeteriti perfecti: et hanc diversitatem discernit accentus. nam si tertius a fine sit praesens tempus ostendit ut ὄλλυσθαι, ῥήγνυσθαι, ζεύγνυσθαι: si secundus, praeteritum perfectum, ut λελύσθαι ἐξύσθαι: unde ΕΙΡΥΣΘΑΙ, si in capite habeat accentum, σημαίνει ἕλκεσθαι quod est praesentis: si in paenultima sit, σημαίνει εἱλκύσθαι quod est praeteriti: νῆα κατειρύσθαι.“ qui-

---

9) Cfr. etiam F. A. Wolfii Analect. vol. I. p. 419 sqq.

bus si argumentum respexeris prorsus respondent ea quae Augustus Lentz Herodiano vindicat. Et M. 305, 56 (Herodian. ed. Lentz II. p. 503, 1 sqq.) ubi ab ἐρύω vel ab ἔρυμαι infinitivus ἔρυcθαι προπαροξυτόνως et πλεοναcμῷ τοῦ ῑ εἴρυcθαι derivari dicitur qui ab infinito παρακειμένου εἰρύcθαι solo accentu differat. vide quae ad Hom. Od. ξ 260 ex eiusdem Herodiani Odyssiaca prosod. (II. p. 156, 29.) citantur ἔρυcθαι ἐνεcτῶτόc ἐcτιν ὡc πήγνυcθαι, παρακειμένου δὲ εἰρύcθαι. atque ad ipsum illud Homericum exemplum νῆα κατειρύcθαι in schol. Hom. Od. ξ 332 (II. p. 593, 17 ed. Dindorf) haec adnotantur: κατειρύcθαι παρακειμένου ἐcτί· διὸ παροξύνεται, quae ex Herodiani libro περὶ Ὀδυccειακῆc προcῳδίαc desumpta esse indicat Lentz II., p. 157, 9. Vindicat Lentzius (II. p. 190 adn. ad frgmt. [61ᵇ]) etiam § 28 qua docetur πέρθαι βλῆcθαι δέχθαι infinitos non esse integros sed corruptos ex πεπέρθαι βεβλῆcθαι δεδέχθαι — vindicat et haec Herodiano et quidem libro περὶ παθῶν.

Tamen haec omnia, quamvis concedam apud Herodianum scripta fuisse, non dubito quin iam ante eum ab Alexandrinis doctoribus observata sint. etenim veteres grammatici quae ab uno vel altero bene et recte observata et prolata invenerunt, recipere non dubitarunt, ita ut raro quis primus aliquid docuerit, nisi si ab aliis impugnata sint itaque disertis verbis auctori suo tribuantur, iudicari nunc quidem possit. itaque fieri potest ut quae exempli gratia apud Herodianum invenimus totidem verbis iam Apollonius ante ipsum dixerit, ita etiam antea Tryphonem cum utroque consentientem invenimus (v. p. 11) itemque inveniuntur apud Macrobium quae pariter Herodiano atque Apollonio tribui possint (quare etiam haec in communi veterum doctrina habere malim). Iam omissis capitibus sequentibus redeamus ad superiora et quidem ad cap. III.; nam quae cap. II. de figuris et de compositionum generibus rationibusque disputata sunt communia grammaticorum praecepta esse probabile est. quae vero de augmento, quod nuncupamus, in verbis compositis tradit §§. 8, 9, 10., ea melius coniuncta cum cap. V. §. 12 sqq. a nobis tractabuntur.

Venio nunc ad cap. III, in quo de coniugationum numero et distinctione manifesto congruit cum Dionysio Thrace, praeterquam quod Dionysiana grammatica initium facit a

barytonorum verborum coniugationibus, Macrobius a perispomenorum.

Dionys. Thrax (Bekk. an. II., p. 639, 11).	Macrobius cap. III.
περισπωμένων δὲ ῥημάτων συζυγίαι τρεῖς, ὧν ἡ μὲν πρώτη ἐκφέρεται διὰ δευτέρου καὶ τρίτου προσώπου διὰ τῆς ει διφθόγγου οἷον νοῶ νοεῖς νοεῖ.	§. 1. Apud Graecos eorum verborum in quorum prima positione circumflexus accentus ultimam syllabam tenet trés sunt conjugationes, quibus discretionem facit secunda persona, quam prima conjugatio habet in εις diphthongum desinentem, ut λαλεῖς: secunda in αις cui ascribitur quidem ι sed nihil sono confert, ut τιμᾷς: tertia in οις diphthongum, ut στεφανοῖς.
ἡ δὲ δευτέρα διὰ τῆς ᾳ διφθόγγου προσγραφομένου μὲν τοῦ ι, οὐ συνεκφωνουμένου δέ, οἷον βοῶ βοᾷς βοᾷ.	
ἡ δὲ τρίτη διὰ τῆς οι διφθόγγου, οἷον χρυσῶ χρυσοῖς χρυσοῖ.	
(p. 638, v. 30 sq.) εἰσὶ δὲ συζυγίαι βαρυτόνων μὲν ῥημάτων ἕξ.	§. 2 eorum vero verborum, in quorum prima positione gravis accentus paenultimam syllabam signat, sex sunt coniugationes, sed in his non secunda persona discretionem facit, quippe cum in omnibus secunda persona in εις diphthongum finiatur, sed harum coniugationum in prima persona differentiae deprehenduntur.
ὧν ἡ μὲν πρώτη ἐκφέρεται διὰ τοῦ β ἢ φ ἢ π ἢ πτ οἷον λείβω γράφω τέρπω κόπτω.	§. 3 quaeritur enim in prima positione verbi cuiusque quae literae praecedant ω finalem literam verbi: et si inveneris ante ω β φ π πτ, λείβω, γράφω τέρπω κόπτω, primae coniugationis pronuntiabis:
ἡ δὲ δευτέρα διὰ τοῦ γ ἢ κ ἢ χ ἢ κτ. οἷον λέγω πλέκω τρέχω τίκτω.	si autem reppereris γκχ λέγω πλέκω τρέχω, secundam vocabis:
ἡ δὲ τρίτη διὰ τοῦ δ ἢ θ ἢ τ. οἷον ᾄδω πλήθω ἀνύτω. ἡ δὲ τετάρτη διὰ τοῦ ζ ἢ τῶν δύο	quod si δθτ ᾄδω πλήθω ἀνύτω, tertiam dices: quarta erit si habuerit ζ aut

cc οἷον φράζω νύccω ὀρύccω. ἡ δὲ πέμπτη διὰ τῶν τεccάρων ἀμεταβόλων λμνρ οἷον πάλλω νέμω κρίνω cπείρω. ἡ δὲ ἕκτη διὰ καθαροῦ τοῦ ω οἷον ἱππεύω πλέω βαcιλεύω ἀκούω. Τινὲc δὲ καὶ ἑβδόμην cυζυγίαν εἰcάγουcι διὰ τοῦ ξ καὶ ψ. οἷον ἀλέξω καὶ ἕψω.

duo cc φράζω ὀρύccω. si vero fuerint liquidae λμνρ πάλλω νέμω κρίνω cπείρω quintam notabunt: sexta profertur διὰ καθαροῦ τοῦ ω ῥέω θεραπεύω. nonnulli et septimam esse voluerunt praecedentibus ξ ψ ἀλέξω ἕψω.

Iam ut hic in §. secunda Macrobius de suis adderet, barytonorum coniugationes in prima statim persona discerni, ordo disputationis flagitabat. si enim barytona primo loco tractavisset, ineptum fuisset eiusmodi additamentum.

Iam quaeritur, ad quem auctorem uterque et Macrobius et hic Dionysianae grammaticae locus referendus sit. Constat enim grammaticam illam ea forma qua nunc circumfertur non ab Aristarcheo Dionysio confectam esse; etsi enim ab ipso illo cuius nomen praefert profecta est, tamen nonnulla in ea sunt quae posteriore demum tempore, postquam Apollonii et Herodiani doctrina magis obtinuit, ex horum grammaticorum placitis in eam irrepserunt. exturbavit Apollonii verbi definitio, quamvis non ad verbum illa expressa, Dionysianam, simulque tota de pronominibus doctrina secundum Apollonium refiota est. idque quam facile fieri potuerit, G. F. Schoemannus meo quidem iudicio prorsus recte in prooemiis Gryphisvaldiae a. 1833 et 1844 editis (opp. acad. vol. III. p. 244—262) demonstravit.[10]) neque enim credibile est Dionysii artem, quae antea summa fuisset auctoritate, subito post Apollonium et Herodianum abolitam et a scholis remotam esse, sed potius ea quae minus cum veriore illorum doctrina congruerent paulatim immutata esse; itaque hunc libellum additis et demptis pro tempore et legentium ratione usui communi accommodatum esse, omnes in se probabilitatis numeros habet. quae cum ita sint, Macrobius aut Dionysium exscripsit, aut si Macrobius Apollonium compilavit Dionysii grammatica hoc ipso loco Apollo-

10) Cfr. etiam quae nuper Ad. Hart, de Dionysii Thracis Grammaticae epitoma partim inedita (Berolini 1871) p. 7. 8 disputavit, quem libellum Studemundi benevolentia mecum communicavit.

nianis infecta est, aut denique Apollonius ipse quae Dionysius tradidit in suum usum convertit; atque hoc quidem veri simillimum mihi videtur, quia in hac re i. e. in numero et ordine coniugationum omnes grammatici graeci eum in modum conspirant, ut ea quae antiquitus tradita erant recepisse videantur.

In capitis IV. §. 4 Macrobius a diserta Herodiani doctrina, quam etiam reliqui grammatici quantum ego equidem sciam receperunt, eo abhorret quod imperativum modum a tertia persona praesentis indicativi creari dicit, cum Herodianus (Lentz. tom II. p. 816, 9 sqq.) ab imperfecto eum fieri tradat. hanc differentiam utrum Macrobio ipsi tribuam an eius auctori dubito, neque quem hic sequatur diiudicare possum. veri tamen simillimum mihi videtur eum hic prorsus suam sapientiam vendere, quae si Apollonio tribuenda esset, non omnibus, opinor, exemplis destituti essemus quibus confirmari res posset, cum hanc Herodiani et Apollonii discrepantiam Choeroboscus vix silentio praetermissurus fuisset.

Cum cap. V. §. 3 componam quae Choeroboscus p. 640, 29 sqq. Apollonio tribuit

λέγει ὁ Ἀπολλώνιος ὅτι πολλά εἰσι ῥήματα καὶ ὡς ἀπὸ βαρυτόνων καὶ ἀπὸ περισπωμένων ποιοῦντα τὴν κλίσιν, οἷον τύπτω τύψω καὶ τυπτῶ τυπτήσω —.. ῥίπτω ἔρριπτον καὶ ῥιπτῶ ἐρρίπτουν ... κύω ἔκυον καὶ κυῶ ἐκύουν.	„Denique ΡΙΠΤΩ quia modo acuto modo circumflexo accentu pronuntiatur et ἔρριπτον et ἐρρίπτουν[11]) facit: κύω (sic! non κίω scribendum esse docuit Lobeckius ad Soph. Ai. v. 239.) propter eandem causam et ἔκυον et ἐκύουν."

Haec non eo composui, quo alterum ex altero pendere demonstrem, non enim eum in modum haec inter se congruunt, sed quo ostendam rem ipsam Apollonio animadversam fuisse, eumque primum eam tam generaliter proposuisse videri, multo restrictius Herodianus (I. p. 433, 19. 456, 14) utrumque ῥιπτῶ et κυῶ atticae solum dialecto vindicat, quod

---

11) ad ἔριπτον et ἐρίπτουν formas per unum ῥ scriptas iam Lud. Ianus monuit eiusmodi scripturam poetis tantum tribuendam esse (cfr. et Choerob. p. 517, 11—17) sed quod tamen h. l. a codice recedere non ausus est, id minus probaverim, cum in hisce rebus codicum auctoritas nulla sit.

si Herodianum ante oculos habuisset Macrobius certe non reticuisset. qua re etiam si ponamus Macrobium non Apollonio ipso niti, hoc tamen concedendum erit ad Apollonium tanquam fontem primarium hoc referendum esse.

Iam inde a §. 4ª usque ad 18ªᵐ de augmento agitur, atque ita quidem agitur ut nonnusquam haud difficile sit Apollonium agnoscere. quamvis enim minime sit mirabile, quod unicuique paragrapho adscribere possumus respondentem Choerobosci locum [velut ad §. 5. Choer. p. 513, 10—21; p. 517, 30—518, 3; ad §. 6. Choer. p. 519, 17 sqq.; ad §. 7. Ch. p. 518, 12; ad §. 8 et 9. Ch. p. 521, 9—20 et p. 909, 25.] tamen § 9ᵃᵉ verba „ω̄ et η̄ multo constantius manent, quod incrementum perfectio tanta non recipit" facere non possum quin dicta putem ad eum Apollonii locum spectantia quo Tryphonem haec elementa in imperfecto etiam supra solitum tempus produci autumantem impugnavit. qua de re cfr. Choer. p. 518, 20 sqq.

porro de ipsis illis verbis ἑώρταζον et ὤψεον vel Choeroboscus lectorem ablegat ad Apollonii rhematicon (v. p. 528, 5—6), item in ἑώρων (§. 11) quod iure ὥρων fieri debuerit ε̄ illud abundare tradit Choerob. p. 519, 15 qui et illa Apollonio debere videtur quae habet p. 599, 3 „ἰςτέον ὅτι ἐώλπειν καὶ ἐῴκειν καὶ ἐώργειν ὑπερβιβαςμὸν ἀνεδέξαντο τοῦ χρόνου ... τῆς μὲν πρώτης ςυλλαβῆς ςυςταλείςης εἰς τὸ ε̄, τῆς δὲ δευτέρας ἐκταθείςης εἰς τὸ ω̄, ὥςπερ ἐπὶ τοῦ ἑορτάζω γέγονε· τούτου ὁ παρατατικὸς ὤφειλεν εἶναι ἡόρταζον καὶ γέγονε κατὰ ὑπερβιβαςμὸν τοῦ χρόνου ἑώρταζον" κτλ. hic quamvis minime certa atque explorata proferri possint, tamen coniciendi periculum non defugiendum esse ratus ideo Apollonio hunc locum tribuere ausus sum quod, cum Choer. supra (p. 528, 6) de ἑώρταζον verbo ad rhematicon remisisset, iam hic ipsum illud ἑορτάζω verbum in comparationem verborum ἐῴκειν, ἐώργειν vocavit. neque quae Choerob. de ἑώρων tradit, temere ad Apollonium rettuli, cum suppetat testis satis locuples ipse Apollonius, qui in synt. p. 130, 17 in ἑώρων ἔηα ἔειπα verbis ε̄ abundare diserte dicit.

quod in §. 9 ad ᾔκαζον imperfectum verbi εἰκάζω dixit, nempe ἀττικὸν hoc esse, coniungi potuit cum §. 18, ubi secundum communem regulam et ἐβουλόμην et ἐδυνάμην dicendum esse refert, sed saepe etiam inveniri ἠβουλόμην et

ἠδυνάμην atticae licentiae formas. quibuscum cfr. quae sunt ap. Choerob. p. 909, 32 — 910, 8.

Iam eis quae inde a §. 11—§. 18 secuntur coniungenda erunt quae a Macrobio de verbis compositis cap. II. §. 8—10 tradita sunt. atque cum singuli loci Macrobii singulis Apollonii ex quo nimirum fluxerunt componi nequeant, breviter utriusque sententias enarrabo.

Macrobius c. II. 8, c. V. 13 verba qualia sunt κιθαρῳδῶ δημηγορῶ παιδαγωγῶ δυσφορῶ i. e. verba παρασύνθετα (II. 6) et ὀνοματικὰ (V. 13) foris declinari dicit, vel post compositionem flecti. intus vero declinantur καταγράφω περιτρέχω διαβάλλω (II. 8) i. e. verba cum praepositionibus composita; sed hoc notandum est in his verbis quod „ubi nullus ex praepositione sensus accedit, foris declinatur imperfectum" (V. 15), „ubi vero additur ex praepositione sensus" (V. 16, V. 12) post flexionem compositio accedit i. e. intus declinatur imperfectum.[12])

Apollonii de hac re doctrina invenitur in synt. l. VI., c. 6 et 7, p. 321, 17—327, 11. docuerat Trypho conecti quidem praepositiones verbis, οὐ μὴν τὴν προσγινομένην κλίσιν ἔξωθεν ἐπιδέχεσθαι. cum enim praepositiones essent, eas non decere quidquam habere ante se. huic Apollonius sic occurrit, ut primum compositionem semel admissam dirimi posse neget, neque igitur quidquam interponi debere consequitur. tum usus cotidianus pugnat cum illa sententia, cum inveniantur ἤνεπε, ἠναντιούμην, κεκάμμυκα, κεκάθικα, quae etiamsi contra regulam formata esse largiamur, hoc nobis opitulatur quod praepositio nisi si nomini anteeat non est praepositio, sed si componitur cum alia orationis parte, iam particula partis illius est. quodsi igitur in καταγράφω declinatio non extrinsecus admittitur, consequitur hic κατὰ praepositionem esse et propriam significationem retinere. — alia quae sibi obici possint Apollonius similiter refellit, et denique (p. 327, 3) „ἐγὼ δὲ, inquit, ὑπολαμβάνω καὶ ὅτι ἐν παρολκῇ αἱ συνθέσεις οὖσαι κατὰ τὸ πλέον καὶ ὡς συλλαβαὶ προσκείμεναι τοῖς ῥήμασι, τὴν τούτων ἀπηνέγκαντο κλίσιν. οὐ γὰρ ὡς τὸ γράφω καὶ τὸ καταγράφω διάφορα, οὕτω καὶ τὸ ἵζω καὶ καθίζω, εὕδω

---

12) de locutionibus „intus et foris declinari" cfr. quae p. 40 disputabimus.

καὶ καθεύδω, ἔπω καὶ ἐνέπω, ὅπου γε καὶ εἰς ἓν ἁπλοῦν μεταλαμβάνεται. — talia Apollonius. sequitur apud eum p. 328, 9 sqq. quo ostendit vocabulorum synthesin retracto accentu probari, respondens hoc Macr. II. §. 9. His expositis dubium esse non potest quin Macrob. si non ipsum Apollonium, eius tamen doctrinam exhibeat, quam etiam Choeroboscus p. 522, 19 — 523, 10 et 524, 25—33 adoptavit. at neque quominus Apollonium ipsum magis hic expressum esse censeamus quidquam impedit, immo favet huic sententiae quod nonnulla exempla, quibus ille ad confirmanda sua praecepta utitur, etiam apud Macrobium extant, velut καταγράφω, quod omnibus tribus Apollonio Choerobosco Macrobio commune est, ἵζω — καθίζω εὕδω — καθεύδω μύω — καμμύω, porro etiam significantiora haec: πολλοὶ δ' ἔνεσαν στονόεντες ὀϊστοὶ (M. II., 9. — Ap. 328, 25), νὺξ δὲ μάλα δνοφερὴ κάτεχ' οὐρανὸν (M. II. 9. — Ap. 328, 23) quorum hoc quominus ex Herodiano fluxerit, obstat eius scriptura, quae στυγερὴ praebet pro δνοφερή (cfr. tom. I. p. 6 ad v. 9. — II. p. 41, 37.).

De perfecto et plusquamperfecto nihil effici potest, quia simpliciter horum formandorum regulae proponuntur congruentes, quod quidem ad plusquamperfectum adtinet, cum Choerobosci explicatione (p. 595, 18—19. — M. c. VII. §. 1; 595, 34—35 et 595, 27—30. — §. 2; 597, 24—33. — §. 3, 4) non addita ulla animadversione neque de aliis dialectis neque de verbis, quae has regulas migrent, praeterquam quod nullum perfectum trisyllabo minus inveniri §. 6 dicitur et in c. VI., §. 8, 9 de perfecto οἶδα quod omnibus regulis repugnet agitur. verum de hac re nihil praeterea ab antiquis grammaticis traditum est. Herodianus enim (II. p. 356, 10) et Choerob. (562, 16 — 19. 587, 28) quamvis rara, extare tamen dicunt perfecta disyllaba et facili negotio οἶδα formam explicant.

In eis quae cap. VIII. inde a §. 6ª traduntur non difficile est eundem agnoscere fontem, ex quo etiam Choeroboscus hausit. dicunt enim:

Ch. p. 652, 25. „παραλήγεται ἡ μὲν πρώτη συζυγία τῶν περισπωμένων κατὰ τὸν μέλλοντα ἢ τῷ $\overline{η}$ ἢ τῷ $\overline{ε}$. sequitur si paen-	M. c. VIII. §. 6. „In prima coniugatione (perispomenorum) aut $\overline{η}$ aut $\overline{ε}$ ante $\overline{σω}$ reperitur πωλῶ πωλήσω, φορῶ φορέσω[13])

13) hic Ianus φορήσω recepit et „desideratur, inquit, exemplum futuri in $\overline{εσω}$ desinentis: sed haud recte scriptum est φορήσω. Statuen-

ultima praesentis longa sit $\bar{\eta}$ futuri paenultimam esse. tum pergit p. 654, 3 εἰ δὲ βραχείᾳ παραλήγεται ὁ ἐνεστὼς τῆς πρώτης συζυγίας τῶν περισπ. τότε ὁ μέλλων πῆ μὴν τῷ $\bar{\eta}$ παραλήγεται, πῆ δὲ τῷ $\bar{\epsilon}$ . . . πῆ δὲ διφορεῖται οἷον φορῶ φορέσω καὶ φορήσω."

Choer. ordine inverso sic disputat. p. 654, 20.

„ὁ μέλλων τῆς δευτέρας συζυγίας τῶν περισπ. ἢ τῷ $\bar{\eta}$ παραλήγεται ἢ τῷ $\bar{\alpha}$ βοήσω ἐάσω, καὶ τῷ $\bar{\alpha}$ ἢ μακρῷ ἢ βραχεῖ· ἡνίκα μὲν τὸ λ πρὸ τοῦ $\bar{\alpha}$ κατὰ τὸν μέλλοντα συνεσταλμένον ἐστὶν οἷον γελῶ γελάσω . . . ἡνίκα δὲ πρὸ τοῦ $\bar{\alpha}$ τὸ $\bar{\rho}$ ἢ καθαρὸν ἔχει τὸ $\bar{\alpha}$ τότε τὸ $\bar{\alpha}$ μακρόν ἐστιν οἷον γηρῶ γηράσω. . . .

et apud illos quotiens in futuro $\bar{\epsilon}$ ante $\overline{\text{σω}}$ ponitur brevem esse praesentis paenultimam observatum est. nec tamen reciproca est necessitas, ut, quotiens brevis est paenultima praesentis, $\bar{\epsilon}$ ante $\overline{\text{σω}}$ sit in futuro: ecce enim νοῶ νοήσω, φιλῶ φιλήσω."

§. 7. „Secunda coniugatio aut η ante $\bar{\omega}$ in futuro habet ut ὀπτῶ ὀπτήσω: aut $\bar{\alpha}$ productum ut περάσω, aut $\bar{\alpha}$ correptum ut γελάσω, deprehensumque est eorum futurorum $\bar{\alpha}$ in paenultima produci, quorum praesens aut nullam consonantem ante $\overline{\text{σω}}$ aut $\bar{\rho}$ habet ἐῶ ἐάσω περῶ περάσω; in contrarium non redeunte necessitate; siquidem χρῶ χρήσω facit et ἐγγυῶ ἐγγυήσω: illic vero corripi ubi in

---

dum est potius aliud verbum excidisse ut στορῶ στορέσω. verbum ipsum φορῶ hic non positum fuisse inde collegeris, quod hoc praemisso non aliis opus erat verbis quibus probaretur non, quotiens brevis esset paenultima praesentis, $\bar{\epsilon}$ ante $\bar{\omega}$ esse in futuro." at primum ipsis novissimis verbis „verbum ipsum φορῶ" etc. demonstrat φορῶ φορήσω omnino hic non tolerandum esse. tum si φορῶ φορέσω scribimus non opus est ut paulo post στορῶ στορέσω excidisse ponamus; observationem enim illam „quotiens in futuro $\bar{\epsilon}$ ante σῶ ponatur brevem esse praesentis paenultimam" post exemplum φορέσω demum extare non est quod miremur, cum exemplum ad priora pertineat et haec observatio adiciatur, quo artioribus finibus regula circumscribatur, denique ipsum illud φορέσω cum Opsopoeo, non φορήσω neque στορῶ στορέσω scribendum esse Choerobosci ille locus docet. — iam hoc quoque addam. rectissime Ianus observationem modo laudatam nihili esse monuit adlatis αἰνῶ et ἀρκῶ verbis: qua de re mihi non ad unum eundemque fontem cum reliquis referenda esse videtur, sed Macrobii eam propriam esse suspicor, additam nimirum quia reliquis duabus coniugationibus eius modi animadversiones appositas invenit.

praesenti ante ω̄ λ invenitur γελῶ γελάcω: sed nec in hoc haec in se necessitas redit κολλῶ κὀλλήcω. πεινάcω autem et διψάcω Dorica sunt per solam literam non etiam per accentum: illi enim in omni futuro in ω̄ desinente ultimam circumflectunt.“

Ch. p. 655, 6. „τὸ πεινάcω καὶ διψάcω μακρὸν ἔχοντα τὸ ᾱ καὶ μὴ ἔχοντα πρὸ τοῦ ᾱ μήτε ρ̄ μήτε φωνηὲν, οὐκ ἀντίκειται ἡμῖν, ἐπειδὴ ἀπὸ τοῦ πεινήcω καὶ διψήcω γεγόναcι κατὰ τροπὴν Δωρικὴν τοῦ η̄ εἰc ᾱ μακρὸν.“

Ch. 659, 12. ἡ τρίτη cυζ. τῶν περιcπ. κατὰ τὸν μέλλοντα ἢ τῷ ω̄ παραλήγεται οἷον χρυcῶ χρυcώcω ἢ τῷ ο̄ οἷον ὀμῶ ὀμόcω. καὶ ἔcτιν εἰπεῖν διὰ τί· ἢ ὅτι ὅcα μὲν ἔχουcιν ὀνόματα παρακείμενα διὰ τοῦ ω̄ ἐκφέρονται κατὰ τὸν μέλλοντα οἷον χρυcὸc χρυcῶ χρυcώcω ... ὅcα δ᾽ οὐκ ἔχουcιν ὄνομα προϋποκείμενον διὰ τοῦ ο̄ ἐκφέρονται κατὰ τὸν μ. οἷον ὀμῶ ὀμόcω ὀνῶ ὀνόcω.

§. 8. „tertia aut ω̄ in paenultima futuri habet aut ο̄: sed hic certa distinctio est. nam verba quae derivativa sunt, ω̄ habent, quae vero principalia nec ex alio tracta, ο̄: τέκνον τεκνῶ τεκνώcω· cτέφανοc cτεφανῶ cτεφανώcω: ὀμῶ autem ὀμοῖc, quia non derivatum est, ὀμόcω facit et ἀρῶ ἀροῖc ἀρόcω.“

Haec quamvis non ad verbum inter se consentiant, tamen eundem fontem primarium redolere patet. quem si quis requirat, haeremus unde repetamus. attamen ab Apollonio ea abiudicanda esse inde consequitur quod Choerob. secundae coniugationis futurum etiam aliter formari exponit p. 655, 11—656, 22 quam disputationem ex Apollonio fluxisse G. Uhligius Nov. Mus. Rhen. XIX. p. 39 acute vidit, rhematicoque vindicavit. verum Herodianone nostra an cuinam alii auctori tribuenda sint in medio relinquendum est.

§. 12 „(ita) fit ut apud Graecos mutari nonnumquam futuri syllaba prima dicatur. item τρέφω primam literam permutantes θρέψω faciunt et ἔχω ψιλὸν ἕξω δαcὺ pronuntiant: sed θρέψω quidem ut diceretur, Iones obtinuerunt, quibus libido est aspirationem modo addere modo demere: addere ut τρέφω θρέψω et τρέχω θρέξω: demere ut θρὶξ τριχὸc faciunt.“

His ubi contuleris Choer. p. 635, 23 — 636, 3. „Ἔλθωμεν δὲ καὶ ζητήσωμεν διὰ τί τοῦ τρέφω θρέψω ἦν ὁ μέλλων, καὶ τοῦ τρέχω θρέξω, καὶ Ἰωνικῶς ἔτρεψαν τὸ τ̄ τὸ ψιλὸν εἰς τὸ ἀντίστοιχον τὸ δασὺ τὸ θ̄, καὶ γεγόνασι θρέψω καὶ θρέξω· οἱ γὰρ Ἴωνες ἔθος ἔχουσι καὶ τὰ παρ᾽ ἡμῖν ψιλὰ εἰς δασέα τρέπειν, καὶ τὰ παρ᾽ ἡμῖν δασέα εἰς ψιλά· . . . οὕτως οὖν καὶ τὸ τρέχω καὶ τὸ τρέφω Ἰωνικῶς ἔτρεψαν τὸ ψιλὸν τ̄ τοῦ ἐνεστῶτος εἰς τὸ ἀντίστοιχον θ̄ τὸ δασὺ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ γεγόνασι θρέψω καὶ θρέξω“: facere non poteris quin ad eundem auctorem utrumque redire censeas. iam vero addit Choer. esse etiam meliorem et firmiorem causam, cur praesens et futurum non eandem initialem litteram habeant: ἢ οὖν ταύτην τὴν αἰτίαν λέγομεν (h. e. quam modo apposui) ἢ κρείττονα αἰτίαν· ἔχει δὲ οὕτως· (636, 4) ἰστέον ὅτι θρέφω καὶ θρέχω ὤφειλεν εἶναι ὁ ἐνεστὼς, ἵνα συνάρξηται τῷ θρέξω καὶ θρέψω μέλλοντι, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ κανών ἐστιν ὁ λέγων ὅτι τὸ ρ̄ μετὰ δασέος δασύ ἐστιν, . . μετὰ δὲ τῶν ψιλῶν ψιλὸν, . . οὐδέποτε δὲ εὑρίσκεται λέξις δισύλλαβος ἐν χρήσει ἀρχομένη ἀπὸ δύο δασέων τῆς δευτέρας συλλαβῆς ἀρχομένης ἀπὸ δασέος, . . . τούτου χάριν οὐκ ἐγίνοντο θρέφω καὶ θρέχω, ἀλλὰ τρέφω καὶ τρέχω, ἵνα μὴ εὑρεθῶσιν ἀρχόμενα ἀπὸ δύο δασέων τῆς δευτέρας συλλαβῆς ἀρχομένης ἀπὸ δασέος.

hanc posteriorem causam Herodiano sagaciter conlato Et. M. 456, 12 vindicavit Lentzius II. p. 403, 22, qua cum prior illa quasi corrigatur, consequi mihi videtur priorem non loco illam modo sed etiam tempore priorem fuisse atque adeo etiam doctrinam Herodiano antiquioribus grammaticis probatam continere.

Cap. X. § 1. Macrobius duos formandi imperfecti passivi canones tradit, quem utrumque etiam apud Choer. p. 679, 1—22 deprehendimus, unde tamen a quo grammatico uterque derivandus sit colligi non potest, immo inventoris nomine deperdito communi omnium traditioni vindicandi sunt, qua de re si quid de propiore eorum auctore efficere volumus, ante omnia eorum auctor investigandus erit, quae et proxime ante et post hos canones traduntur, cui disquisitioni ego equidem me imparem esse confiteor, cum neque quae praecessere neque quae secuntur ullam ansam praebeant.

Denique in cap. XII. quod §. 3 Syracusanae dialecti propria dicuntur paulo post futura in σω̄ exeuntia, alias nus-

quam inveni, verum atticae dialecto similes formae ut τεθνήξω ἑστήξω tribuuntur veluti Lucian. Soloic. c. 7. (III., p. 406 Jacobitz — III., 570 Reisk.) „ἀττικίζοντος inquit, τινὸς καὶ τεθνήξει εἴποντος ἐπὶ τοῦ τρίτου. βέλτιον, ἔφη, καὶ ἐνταῦθα μὴ ἀττικίζειν καταρώμενον.“ et revera apud antiquiores scriptores atticos haec activa forma obtinuit, recentiores medialem τεθνήξομαι receperunt: ita Aeschyl. Agam. 1252 (1238) οὐ μὴν ἄτιμοί γ᾽ ἐκ θεῶν τεθνήξομεν. Plat. Gorg. p. 469 d. τεθνήξει οὗτος ὃν ἂν δόξῃ et Aristoph. Acharn. 325 ὡς τεθνήξων ἴσθι νυνί. qua de re omnimodo in Ar. Ach. 590 et vesp. 654 τεθνήξεις restituendum est.

Iam pergo ad cap. XX.

Atque omnia haec extrema capita antea omisi, quia in eis prorsus aliud disputandi genus occurrere videbatur; nam cum antea graecae linguae regulas praemitteret, adderet latinas, nunc in comparatione utriusque linguae ita versatus est, ut singulis latinis praemissis congrua graeca item singula adderet.

Quae de impersonalibus verbis traduntur, manifesto recentiorem auctorem quam Apollonium produnt. Apollonius enim impersonalium verborum doctrinam non excoluit, sed formis quales sunt ὕει βροντᾷ quae ad actiones in rerum natura conspicuas pertinent, licet deesse soleat subiectum, tamen semper Iovem subaudiendum esse censet. (cfr. de pron. p. 289. A. 6—9. — synt. p. 12, 18—23 et p. 101, 14—20). Macrobium contra aliter sensisse consequitur ex exc. Bob. (K. p. 646, 18. — Ian. de verbo c. VII., §. 2) „qui dicit legitur curritur agitur impersonaliter, non indicat quid ille aut illa aut illud, sed rem tantum exprimere contentus praetermittit personas apud quas officium est lectionis aut cursus aut actionis“. certiora de fonte indicari nequeunt. (de re ipsa cfr. Herm. Muelleri de tertia in verbo finito persona inprimis de verbis impersonalibus disputationem (imprimis p. 15 sqq. et p. 25) Gryph. 1863 et Schoemanni de partib. orationis p. 29)[14]).

---

14) Iam hic liceat mihi Herm. Muellerum, cuius dissertationem de tertia in verbo finito persona modo laudavi, parum in sententia sua de impersonalibus sibi constitisse paucis demonstrare. Is enim postquam scite et diligenter quoquovorsum illam materiam pertractavit atque hoc effecit quod etiam in fine commentationis suae proclamavit, ut consentiret cum Eggero impersonalia nomina quodammodo coniugata (sujets

Sequitur disputatio de formis vel speciebus verborum, de quibus multa dissensio inter grammaticos Latinos erat. Supra iam vidimus ab eis formas cum modis in unum coartatas uno qualitatis nomine simul comprehensas esse (vid. p. 5. 6). Iam de numero et nominibus formarum non amplius disceptandum esse iudico, sufficiet dixisse a plurimis eisque melioris notae grammaticis has quattuor accipi formas: meditativam incohativam perfectam s. absolutam frequentativam, quarum e numero Macrobius perfectam omisit, addidit usurpativam iniuria aut de suo aut ex antiquiore et quod equidem sciam nunc deperdita traditione. primum enim in exc. Paris. omnino graeca forma quae usurpativae latinae aliquo saltem modo respondeat non extat, tum in exc. Bob. (K. p. 649, 17 sqq. — Ian. de verb. c. VIII., §. 21) haec forma Latinitati non solum ornatum praestare dicitur sed etiam habere videri Latina lingua quod Graeci iure desiderent, quamvis simile aliquid habere existimentur, ut ποιητέον γραπτέον λεκτέον.

Iam exoritur nova quaestio de eis quae Macrobius revera scripsisse iudicandus sit et quem ad modum disputatio eius processerit. Collocatum est enim caput „de usurpativa“ in exc. Bob. ante caput cui inscriptum est „de formis verborum“, in quo nihilominus quattuor enumerantur formae, meditativa inchoativa perfecta frequentativa s. iterativa. exponitur tantum de meditativa inchoativa frequentativa, perfecta non minus quam in exc. Par. omissa.

conjugués) dicenti. h. e. postquam cum G. F. Schoemanno dixit verborum qualia sunt ὕει et βροντᾷ subiecta nihil esse aliud quam ipsas actiones verbis illis significatas atque expressas (v. p. 15), de quibus subiectis illud pronuntiaretur, quod verbum substantivum significaret, esse illa subiecta; ita ut dissoluta ὕει et βροντᾷ in subiectum et praedicatum haec efficiant ὑετός ἐστι, βροντή ἐστι: his igitur expositis tamen p. 33 Grimmii sententiam probat, qua linguam infinita et incerta notione generi neutri insitae (agitur enim de enuntiatis quale est es regnet) usam esse dixit ut ignotum occultum incertum subjectum quoddam demonstraret. attamen statim es illud vernaculum saepissime ita adhiberi dicit ut praeconis instar sequens subiectum pronuntiet. atque sequitur etiam hic in es regnet subiectum quamvis involutum in verbi forma; est enim es regnet si dissolvitur nihil aliud quam es ist Regen. en habes et hic evocationem es praeconis instar praecedentem, subiectum Regen subsequens. et pro es ist Regen etiam dici potest der Regen ist vel findet Statt.

qua de re non erit dubium quin cum excerptor Bob. sua ex Macrobio defloraret cap. illud „de usurpativa“ de sede sua iam fuerit deturbatum eoque delatum ubi nunc legitur. excerptor tum ut efficeret qui indicatus erat numerum quaternarium, in eis quae peculiari singularum formarum tractationi praemisit, inseruit perfectae nomen. nec tamen de ea disseruit, quia nihil eiusmodi expositum invenit in Macrobianis. Macrobius enim illas quattuor habuit quae etiamnunc extant cum in exc. Par. tum, quamvis ut dixi turbata, in exc. Bob. ultima autem usurpativa iniuria in earum numero habita est, cum recte a quibusdam gerundi vel participialis modus dicatur, modo scilicet omnino pro forma flexionis accepto.[15])

Habent deinde exc. Par. §. 1 „quae sunt fere propriae Latinitatis licet meditativa etiam Graeci habere putantur.“ ex quibus colligo in fonte Graeco aut non extitisse quae his similia in comparationem vocari potuerint aut sub paragogorum h. e. derivativorum nomine omnia illa verba simul comprehensa esse quae postea pro exemplis exhibita sunt. Sed cum illa quae antecesserunt de modis, temporibus, alia, facili negotio analoga sua haberent in utraque lingua, hae formae tamen minus apte congruere viderentur, Macrobius fortasse non ausus est in eundem modum latinas formas et graeca εἴδη quae duo tantum sunt πρωτότυπον παράγωγον, inter se conferre. praesertim cum falso a Graecis ad σχήματα referretur, quod a composito nomine derivatum est, velut a Φίλιππος φιλιππίζω fit. eiusmodi enim verba magis in formis ponenda sunt quae ita distinxerim ut iuxta se ponam primitiva et derivativa, derivativorum tum diversa genera po-

---

15) Priscian. nominibus has formas adnumerat. l. VIII., 13, 70 (I., p. 425, 20) „Supina, inquit, vel participialia cum nec personas discernant et temporibus careant, quibus sine verbum esse non potest, et casus assumant et praepositionibus separatis adiungantur, sine dubio mihi nomina videntur esse, quae tamen loco infinitorum ponuntur tam activorum quam passivorum.“ — de nomine supinorum et quomodo factum sit ut his ipsis verborum formis inderetur, cfr. L. Lersch „die Sprachphilosophie der Alten“ II., p. 248, 249 qui cum dubitet de gerundivi s. de gerundii modi nomine quomodo explicandum sit vid. quae Haasius ad Reisigii schol. latin. p. 239, no. 280 adnotavit et Schoemann de partib. orat. (Berol. 1862) p. 63, 64.

nam, prout propria forma propriam significationem accipiunt, sicut -urio terminatio meditationem -to -so -xo finales frequentiam actus et -sco initium vel actus vel passionis significant. Prorsus igitur consentio cum Prisciano qui (l. VIII. 14, 72 sqq.) (I., p. 427, 11) „Species, inquit, verborum sunt duae primitiva et derivativa" quarum utriusque postquam exempla attulit, sic pergit: „Sunt igitur derivativorum diversae species, ut inchoativa quae . . ." p. 429, 10 alteram derivativorum speciem in -urio desinentem nominat meditativam quam sequitur v. 19 frequentativa. (De graecor. verbor. speciebus et specierum significationibus cfr. R. Kühneri gramm. graec. mai. vol. I., p. 694, §. 328, ed. 2.)

Ac si recte a me dictum est Macrobium vix ausum esse videri εἴδη cum formis comparare, probabile fit Macrobium auctorem habuisse, qui ipse magis in hac re versatus facilius talia componere potuerit, qualia apud Macrobium nunc extant. atque hic non praetermittendum esse puto omnia illa verba in ειω exeuntia ab Herodiano pro paragogis quidem haberi, nihil autem ibidem inveniri de eorum significatione cfr. Et. M. 620, 44 = Herod. Lentz. II. 267, 13 ubi θαλπείω ῥιγείω ὀκνείω. II. 462, 18 ubi θείω σείω κείω ὀλείω κιχείω ὀψείω βρωσείω ποιησείω γαμησείω τελείω κρατείω ῥιγείω ὀκνείω θαλπείω. denique II. 783, 13 ubi κιχείω θείω σείω βρωσείω πολεμησείω derivativa esse dicit.

Quodsi in §. 5 „de inchoativa" haec legimus: „Hanc quoque formam sunt qui Graecis familiarem dicant adserentes hoc esse μελαίνομαι καὶ θερμαίνομαι quod est nigresco et calesco" certissimum hinc fit haec neque ex Apollonio neque ex Herodiano fluxisse, sed tribuenda esse eis qui ante Macrobium in comparatione graecae et latinae linguae instituenda desudarunt, cui autem in his tribuenda sint, non facile quisquam inveniet, cum omnibus testimoniis destituti simus.

Caput XXII., quod est de generibus verborum, certissimum est Apollonio Apollonianaque doctrina non niti sed posteriorem scientiam propagare evictum est ab Hermanno Muellero qui „de generibus verbi" Gryph. 1864, p. 13 „Apollonius, inquit, Dyscolus et qui eum secuntur, tres constituunt διαθέσεις, quarum singulas certis finibus student circumscribere; ita Ap. d. c. p. 226, 8. 276, 20.

Choerob. p. 476, 1; etiam Dionysius Thrax in gr. Bekk. anecd. p. 638, 8 et inter scholiastas a Bekkero collectos incertus quidam p. 884, 32 (ita enim scribendum est pro eo quod ibi exstat 886, 31) et Stephanus (p. 886, 9) eandem sententiam profitentur ideoque haud dubie Apolloni doctrinam propagant. alii vero scholiastae et Macrobius et Priscianus quinque verbi genera constituunt, de quibus nunc videndum et quid cuiusque proprium dicatur exponendum est.“ Atque revera scientissime de tota hac re exposuit in sequentibus, ita ut uberiore disputatione supersedere possimus.

Iam ad finem perducta hac de fontibus quaestione (etenim cap. XXIII. quod est de defectivis verbis et appendix sine detrimento omitti possunt), aequum erit breviter eorum quae effecisse nobis videamur enumerationem reminiscendi causa unum sub aspectum subicere.

Vidimus igitur Macrobium in permultis Apollonio duce ac signifero usum esse, ibi potissimum ubi agebatur de explicandis rationibus cur haec vel illa forma aut non obtineret aut obtineret, quod maxime in modorum doctrina factum est et in eis quae de compositorum augmentis rettulit (c. XVI., XVII., XVIII., XIX. — c. II. a §. 7, c. V.) in aliis certum iudicium fieri non potest, potuit enim talia haurire ex Apollonio, sed in testimoniorum inopia potuisse quidem haurire, non necessario hausisse dicendus est. atque haec magnam partem etiam Herodiano tribui posse item cognovimus. alia Apollonio saltem abiudicanda, alia denique prorsus nova atque partim ut videtur propria in medium protulit.

Hac igitur quaestione absoluta

Cap. III.

animadversiones varias adicere placet, quae maxime ad verborum contextum et ad Macrobii disputationis ordinem pertineant.

Statim enim in primo capite excerptor noster corrigendus est. ubi cum nunc legatur §. 2 „eandem paene cum casibus constructionem servant, ut misereor illius pareo illi veneror illum: φοντίζω τοῦδε, πείθομαι τῷδε, φιλῶ τόνδε: ablativum Graecia non recipit,“ cum in exc. Bob. (K. p. 631, 28) post verba „veneror illum“ additum sit „venio ab

illo, nitor illo“: primum haec Macrobium habuisse consequitur, deinde vero neque excerptor haec praetermittere debuit: verba enim „ablativum Graecia non recipit“ prorsus sensu carent nisi antea ablativi Latini mentio facta est, itaque excerptorem nostrum sive hoc neglegentia sive consulto praetermisit corrigendum esse puto.

Pergo ad alterum caput quo de figuris agit. quae ibi de verborum compositione tam in latina quam in graeca lingua tradit, ea ad certum auctorem referri vix poterunt, quod vero de „au“ syllaba in autumandi verbo dixit id totum ex Aulo Gellio repetitum esse compositis eis quae uterque dixit facile intellegitur.

A. Gellius lib. XV. cap. 3.	Macrobius c. II. §. 4.
„Cicero cum dixisset verba haec: aufugio et aufero composita quidem esse ex praepositione ab et ex verbis fugio et fero, sed eam praepositionem ..... mutatam esse in au syllabam .... „„haec, inquit, praepositio praeter haec duo verba nullo alio in verbo reperietur.““	„aufugio et aufero a praepositione ab componuntur et in his solis ab movetur in au auctore Cicerone sensumque habet retrorsum trahendi.
Invenimus autem in commentario Nigidiano verbum autumo compositum ex ab praepositione et verbo aestumo, dictumque intercise autumo quasi abaestumo quod significaret totum aestumo, tanquam abnumero. Sed .... audacius hoc argutiusque esse videtur quam verius.	Nigidius tamen putat verbum autumo eadem praepositione componi, quasi ab et aestimo, sicut abnumero idem est et numero,
autumo enim non id solum significat, sed et dico et opinor et censeo.“	autumo vero et dico et censeo significat.“

Confirmatur autem mea sententia etiam eo quod exc. Bob. cod. 16 [K. p. 632. 6—9] quamvis hanc rem brevius tractent, tamen duobus locis[16]) Gellii verba accuratius ser-

16) habent enim haec: „Nigidius in commentariis grammaticalibus verbum autumo compositum ait ex praepositione ab et verbo aestimo,

varunt. accedunt praeterea exc. Bob. cod. 17 [K. p. 637. v. 20—31] in quibus inter Tullii et Nigidii sententiam haec intercalantur quae Gellius in calce disputationis suae addidit:

Gellius l. l.	excerpta Bob.
„Sed illud magis quaeri inspicique dignum est, versane sit et mutata ab praepositio in au syllabam propter lenitatem vocis, an potius au particula sua sit propria origine et proinde ut pleraeque aliae praepositiones a Graecis, ita haec quoque inde accepta sit; sicuti est in illo versu Homeri αὐέρυσαν" κτλ.	„Sed plerisque placuit ex graeco μορίῳ, id est particula αὖ haec esse composita ad similitudinem illius αὐέρυσαν μὲν πρῶτα et alibi ἄβρομοι αὐίαχοι, id est retrorsum traxerunt, retinuerunt."

Iam excerptorem Par. aut neglegentem aut Macrobii verba male intellegentem deprehendimus. verba enim „sensumque habet retrorsum trahendi" prorsus sensu sano carere non est quod moneam. unde autem nata sint demonstrabo. cum Macrobius verbis „retrorsum traxerunt" αὐέρυσαν vocabulum explicaret, qui excerpsit illa ad totum enuntiatum rettulit eisque vim illius au vel ab praepositionis indicari putavit; aliter enim ea ipsa verba ad quae sola „retrorsum traxerunt" pertinet aut non omisisset aut etiam haec reticuisset.

Praeterea facere non possum quin adnotem Macrobium propterea quod αὐίαχοι per „reticuerunt" reddidit αὐίαχον scripsisse videri [cfr. quae Ianus ad incerti auctoris fgmtum. de verbo c. 1. §. 22 = exc. Bob. cod. 17. Keil. p. 637, 26 adnotavit].

Ad §. 8 pauca de locutionibus „foris declinari" et „intus declinari" dicenda sunt. — ἡ κλίσις (declinatio) proprie eam verbi mutationem significat quae in fine apparet, tum omnino omnem mutationem veluti accedentem a principio ε litteram quam nos nunc augmentum vocamus, in compositis autem cum praepositione verbis cum quaeratur augmentum utrum ante praepositionem accedat an inter illam et verbum inseratur, haec ἡ ἐντὸς κλίσις verbumque

---

dictumque intercise autumo tanquam si diceretur abaestimo, quod significaret totum aestimo. sed autumo *non id solum significat*, aestimo, *sed et* dico *et* censeo."

intus declinari dicitur, illa vero ἡ ἔξω κλίσις est atque augmentum ἔξωθεν προσέρχεται h. e. verbum foris declinatur. eodem sensu Priscianus [inst. gr. VIII. 83. — K. II. p. 436, 14 sq.] in verbis compositis Graecos extrinsecus declinationem facere et intrinsecus declinare dicit. —

In cap. III. §. 2 acutum non gravem paenultimam syllabam barytonorum verborum signare dicendum fuisse jam Keilius (ad h. l.) vidit, quem tamen errorem excerptori ideo tribuere nolim, quia etiam in excerpto Bob. cod. 16 sic scriptum est. Praeterea simile vitium iam supra (p. 18) deprehendimus in c. XIV. §. 18 ubi Dorienses imperfecti tertiam pluralem βαρυτονεῖν dicuntur, cum παροξύνειν dicendi fuerint. —

Post §. 7 in exc. Par. excidisse numerum et distributionem coniugationum Latinae linguae cum hiatus sententiarum et ordo disputationis tum exc. Bob. 16 demonstrant. secuntur enim ibi haec:

„Omnium igitur verborum apud Latinos omnino coniugationes sunt . ., in quibus cum nullum verbum in fine ut dicimus habeat accentum, differentias tamen coniugationum non in prima sed in secunda persona Graeco quaerimus exemplo, quod apud illos in solis circumflexilibus observari solet. Prima ergo Latinorum coniugatio in secunda persona primae positionis verbo activo et neutro habet a [iam locus mutilus est] . . . gravi accentu sunt.“

Iam cum is locus, qui quomodo distinguerentur singulae coniugationes latinae indicaret, hic quoque excidisset, coniectando tum hic tum numerus ille qui in initio huius loci excidit quemque ternarium edd. Vindobb. (J. ab Eichenfeld et St. Endlicher) posuerunt recuperandi sunt. Ac mutilum illum locum illi sic expleverunt: „secunda e, tertia correpta et producta i ante litteram finalem.“ — [verba quae secuntur „gravi accentu sunt“ scriptorem iam ad verbum graecum rediisse certe demonstrant.] quaeritur igitur quo iure hoc fecerint. Grammatici enim antiqui partim quattuor coniugationes accepere partim tres, quarum tertia iterum dividebatur in correptam et productam, itaque tertiam et quartam nostratium comprehendebat. Iam si in comparationem vocamus exc. Bob. cod. 17 a quibus Macrobium adhibitum esse supra dictum est, inveniemus quater-

narium numerum, quem ne quis forte etiam in nostrum locum inferre velit cavendum est; corruptum enim quaternarium ibi numerum et ternarium reponendum esse ea quae statim secuntur evincunt. coniugationes „ex secunda, inquit, persona primae positionis agnoscimus cum primam a secundam e tertiam i modo producta modo correpta vel ante litteram vel ante syllabam quaeque posita designet.“ in quibus neque quarta commemorata et tertia in productam et correptam divisa est. — reliqua explicatione vix indigent.

Ad §. 7 de medio perfecto cfr. quae R. Kühnerus gramm. gr. I. I. p. 490 et 491 disputavit.

In cap. IV. §. 4 Macrobius suam ipsius regulam, quae quam vera et rei ipsi respondens sit inquirere nunc nostrum non est, laesit in formando imperativo tertiae περιςπωμένων coniugationis. postquam enim §. 3 hanc coniugationem in prima tantum positione ο̄ῑ diphthongum retinere ideoque addito ν̄ ad tertiam praes. ind. personam cum ποιεῖ ποιεῖν infinitivum faciat, χρυςοῖ formam χρυςοῦν non χρυςοῖν fieri exposuit, imperativum quoque inde creari „in perispomenis quidem accentu ad superiorem syllabam“ translato dicit itaque ex ποιεῖ fieri ποίει, ex χρυςοῖ χρύςοι quae secundum illam regulam χρύςου sicut et revera audit formanda erat.

Cap. VIII. Miror Keilium non correxisse §. 4 vocabulum μετάβολον quod mero calami lapsu pro eo quod est ἀμετάβολον inlatum est, diserte enim a Dionysio Thrace (Bekk. An. II. p. 622, 7) liquidae (τὰ ὑγρὰ) ideo ἀμετάβολα appellata esse dicuntur, ὅτι οὐ μεταβάλλεται οὔτε ἐν τοῖς μέλλουςι τῶν ῥημάτων οὔτε ἐν τοῖς κλίςεςι τῶν ὀνομάτων.

Cap. XVI. postquam initio (§. 1) propriam imperativi derivationem tradidit, §. 9 re accuratius cognita ad Graecorum doctrinam transit et imperativum praesentis et imperfecti facilius ex imperfecti tertia persona abiecto augmento aut syllabico aut temporali prodire docet. v. Choerob. p. 740, 32—741, 6. in eis autem quae statim addit „ita et in passivis ἐνοοῦ νοοῦ“ etc. Macrobius nimio brevitatis studio in errorem inductus est; hinc enim factum est ut praetervideret in passivis secundam imperativi non a tertia sed a secunda persona imperfecti fieri.

Iam in cap. XVIII. §. 1 mendum tollendum mihi est, quod priores editores quamvis subesse senserint, tamen

fugit quomodo sanandum esset. extant enim in libro manu scripto haec: „De hoc (optativo) modo quaestio graeca praecessit, si praeteritum tempus possit admittere, cum vota pro rebus aut praesentibus aut futuris soleant accitari (l. agitari Uhlig.) nec in specie possint transacta revocari.“ quo de loco nihil Ianus. Keilius „in speciem possint transactam revocari“ rescripsit. quid autem illud sibi velit „vota in speciem transactam revocari,“ equidem perspicere non possum. scribendum est „nec in spem possint transacta revocari“. sic etiam revocandi verbum propriam suam vim exserit. atque confirmatur haec mea emendatio eis quae cod. Bob. 17 (K. p. 642, 33) sunt: „quia nullus unquam quae iam facta sunt sperat cum infecta fieri non possint sed in praesens vel in futurum aliquid optetur; sed transactum quoque tempus optanti necessarium adprobatur.“

Occurrit in Macr. libro aliquotiens observationis vocabulum (praef. c. IV. 3; c. VIII. 5) eo sensu quo alias leges et regulae usurpantur; itaque de hac illius vocabuli significatione paucis nunc videndum esse censeo. simul autem cum observationis etiam τηρήσεως et τηρήματος vocabula componi possunt, illud enim nihil est aliud nisi mera horum graecorum versio. atque cum regulae et leges grammaticae ab Analogistis quidem qui nuncupabantur non nisi cognita analogia proponerentur cumque analogia non cognosceretur nisi comparatis et observatis satis multis testimoniis et exemplis, facile fieri potuit ut τήρησις τήρημα observatio pro eo poneretur quod observatum erat. hoc autem regulae instar aspiciebatur. — Habemus apud Apollonium in synt. τηρήσεως vocabulum et magis proprio sensu et tralaticio hoc alterum de synt. 130, 7. ἔσθ' ὅτε ἰδίωμα φωνῶν ἐλλιπεστέρας καθίστησι διηνεκεῖς τηρήσεις, „interdum vocum proprietas mancas esse evincit perpetuas observationes“; alterum p. 149, 15 ubi constructiones poeticas reprehendendas esse negat „ὅτι μὴ τῇ προκειμένῃ τηρήσει ὑπαντήσεται τὰ τοῦ λόγου,“ quia oratio non respondeat observationi propositae.

Georgius Frid. Car. Schoemann
de vita sua.

Natus sum in oppido Niemegk prope Vitebergam sito prid. Idus Maias anni h. s. XLVI patre Hermanno medico matre Rosalia e gente Fieringiana, quos praematura morte ereptos valde lugeo. fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus scholam latinam quae Halis floret per biennium frequentavi, ubi cum minus quam debebam proficerem domum revocatus per annuum tempus praeceptoris privati disciplina usus sum. tum in Nordhusani gymnasii classem quartam a Schirlitzio v. cl. tum rectore receptus sum. tempore paschali a. LXVII maturitatis quod dicitur testimonio instructus Gryphisvaldiam me contuli ubi per rectorem magnificum Bekkerum civium academicorum numero adscriptus philologicis studiis me darem.

Scholis interfui virorum cll. Schoemanni avi mei, Buecheleri, Studemundi, Susemihli, Hirschii, Georgii, Hoeferi, Preuneri, quibus omnibus viris quid debeam me semper grata memoria servaturum esse profiteor.

Seminariis operam navavi philologicis per septem semestria, historicis geographicis per tria, societati philosophae per unum semestre.

Sententiae controversae.

I. Tac. Ann. I, 15, extr. „Mox celebratio *annua* ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.“ scribendum est.

II. Vellei. Paterc. II, 123, 2. „ingravescente in dies valetudine cum sciret (sc. Augustus) quis volenti omnia post se salva remanere accersendus foret, festinanter revocavit filium; ille ad patrem *patriae* expectato revolavit maturius.“ pro *patriae* vocabulo manifesto corrupto *per Atriam* restituendum est.

III. Seneca suas. VI. Burs. p. 37, 23 sqq. in Corneli Severi versibus

„ille senatus
„Vindex; illa (cod.: ille) fori, legum ritusque togaeque
„Publica vox saevis aeternum ommutuit armis.“

defendo codicum scripturam *ille*, posito post togaeque commate.

IV. Aeschyl. Eumen. v. 45.

„ἀργῆτι μαλλῷ· τῇδε γὰρ τρανῶϲ ἐρῶ“

spurius est.

V. Thucyd. I, 2, 6. „τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖϲτον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀϲταϲίαϲτον οὖϲαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί. καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιϲτόν ἐϲτι, *διὰ* τὰϲ μετοικίαϲ ἐϲ τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίωϲ αὐξηθῆναι. lego τὸ τὰϲ μετοικίαϲ κτλ.

VI. Rei nummariae peritiam ad cognoscendam artem statuariam necessariam eandemque omnino in antiquitatis studiis hac potiorem esse contendo.

[illegible]